MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81627-9

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

HALBERTSMA, TJALLING

TITLE:

SPECIMEN LITERARUM...

PLACE:

LUGDUNI-BATAVORUM

DATE:

1855

Master Negative #

93-81627-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88Ar5 Halbertsma, Tjalling. 1829-94.
DZ 2 v.2 Specimen literarium continens priorem partem Prosopographie Aristophaneae.
Lugduni-Batavorum, 1855. 0. 12 + 128 p.
Doctor's dissertation at Leyden (Holland) university.
No. 3 of a vol. of pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/2/93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

SPECIMEN LITERARIUM

CONTINENS

PRIOREM PARTEM

PROSOPOGRAPHIAE ARISTOPHANEAE.

SPECIMEN LITERARIUM

CONTINENS

PRIOREM PARTEM

PROSOPOGRAPHIAE ARISTOPHANEAE.

N. 3

SPECIMEN LITERARIUM

CONTINENS

PRIOREM PARTEM

PROSOPOGRAPHIAE ARISTOPHANEAE,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

SIMONIS VISSERING,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. ET IUR. ROM. ET HOD. DOCT. ET IN FAC. IUR. PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE
ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM
HUMANIORUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

In Academia Lugduno-Batava,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

TIALLINGIUS HALBERTSMA, IUSTI FIL.,
DAVENTRIENSIS.

AD DIEM XV M. DECEMBRIS MDCCCLV, HORA II—III
IN AUDITORIO MAIORI.

LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD E. I. BRILL,
ACADEMIAE TYPOGRAPHUM.

Patri Optimo
Carissimo.

PRAEFATIO.

Quum Academicis studiis finem impositurus vires experiri constituissem in Prosographia Aristophanea conscribenda, non existimabam hoc argumentum multum molestiae et difficultatis habiturum. Mox tamen intelligebam maximum me onus suscepisse, quod humeri ferre paene recusarent, et si omnes personas, quae apud Aristophanem occurrerent, tractare vellem, diutius, quam e re mea esset, tempus mihi differendum fore, quo summos honores peterem. Quum tamen argumenti suavitas tantopere me cepisset, ut id mittere nollem, decrevi primum agere de poëtis, philosophis, vatibus, iisque, qui artem quamcunque apud Aristophanem exercentes commemorarentur, ut deinde altero volumine reliquos comprehenderem; hac enim ratione neque argumentum, quod eximie placebat, abiicere, neque tempus, quo doctoratus gradum peterem, nimis diu differre opus erat. Vel sic tamen tantillum hoc opusculum tantum laboris habebat, ut, cum propter varias causas ante ferias hibernas libellum in lucem emittere constituissem, Aristophanem ip-

sum, qui iure sibi locum in hac Prosopographiae parte postulat, omittere et in alterum volumen, quod mox, ut spero, prodibit, reiicere coactus fuerim, quod consilium, quamvis ne ipse quidem probem, aliquantum excusationis habeat in] argumenti gravitate et difficultate, quae impediverunt, quominus in praesentia hanc partem operis absolverem: primum enim mihi loci Aristophanei de singulis personis conquirendi et exscribendi erant; scholiasta excutiendus et excerpendus; investigandum erat, quid de quaque difficillima quaestione viri docti annotassent; ex aliis auctoribus, tum antiquis, tum recentioribus conquirendum, quod ad Aristophanem illustrandum faceret: tandem, res omnium longe molestissima et ingratissima, materia multo labore congesta digerenda et continua oratione explicanda erat: quae omnia accurate persequi quantopere adolescenti, aliis insuper negotiis districto, difficile sit, nil attinet dicere. Quorum si B. L. iustam rationem habuerit, non solum veniam dabit, quod argumentum non absolverim, sed etiam, si quae alia me fefellerint vel latuerint, humana indulgentia ignoscet, qua quantopere mihi opus sit, ipse omnium optime scio ex comparatione huius libelli cum Prosopographiis, quas conscripserunt Groen van Prinsterer *et* Cobetus, *in quibus nescias utrum magis admireris elegantiam, an exquisitam doctrinam.*

De ratione, quam in argumento meo tractando secutus sum, pauca tantum monebo, quum ea ex ipsa dissertatione satis manifesta sit.

In virorum doctorum sententiis afferendis eam legem secutus sum, ut in rebus magni momenti semper auctorem, quod quidem scirem, memorarem, in rebus vero

minutis, in quibus neminem fere verum latere posset, omitterem, ne vana hac doctrinae ostentatione lectori nauseam parerem. Eodem consilio Scholiorum Aristophaneorum auctoritatem nunquam adscripsi, ubi Aristophanis sententia ex ipsius verbis satis cognosci posset, nihil utilitatis inde in Aristophanem redundaturum ratus. Cautissime praeterea iis scholiis usus sum, quae non nisi in Aldina Editione leguntur, et semper, quantum scio, in iis laudandis Aldi nomen adscripsi, quod consilium nemo improbabit, qui reputaverit, quanta temeritate Musurus, qui haec scholia compilavit, in Graecis auctoribus edendis versatus fuerit.

Quo melius flueret oratio ea libertate usus sum, ut verba Aristophanis, quae passim mihi laudanda erant, ubi commode hoc fieri posset, parva mutatione meis verbis aptarem, in qua tamen re, ne quis me temeritatis accusaret, magnopere cavi, ne sententiae Aristophanis vim afferrem. Caeterum representavi textum Editionis Bergkianae, a qua sicubi desciverim, diligenter lectorem admonui; praeter quod hic illic tacite quaedam in formis maxime verborum mutavi, quae annotare non erat operae pretium.

In scholiis laudandis ea editione usus sum, quam accurate et diligenter, ut solet, Parisiis curavit Duebnerus. Sicubi Recentiorum auctoritas afferenda esset, titulum libri, ubi ea inveniretur, accurate addidi, exceptis tamen Bergkii Commentationibus de antiquae Comoediae reliquiis *et Meinekii editione* Fragmentorum Comicorum, *qui libri ubi laudandi mihi erant, compendii causa titulis omissis auctores tantum nominavi, quum quaque fere pagina eorum mentio esset facienda.*

Hic praefandi finem facere possem, nisi pium simul et iucundum officium superesset viris clarissimis, quorum institutione frui mihi contigit, publice grati animi sensum testificandi.

Neque velim casui aut mori, cui obtemperaverim, tribuas, quod primum tibi, Clarissime COBET, *promotor aestumatissime, sinceras gratias persolvo pro magnis quibus me cumulavisti beneficiis. Tu enim non solum publicis lectionibus viam monstrasti, qua ad interiorem antiquitatis cognitionem pervenire possem, sed etiam me non indignum iudicasti, quem privatim consiliis tuis sustentares, cui interroganti liberaliter de rebus dubiis responderes, cui in omnibus negotiis adiutor adesses. Pro quibus omnibus facta demonstrent, utrum quae dixerim e grato pectore fluxerint, an vani et inanes soni habendi sint, quos solemnis tantum moris causa emiserim.*

Nec minus tibi, Clarissime BAKE, *animum meum devinctum sentio pro egregia tua institutione, quam semper cum voluptate recordabor. Accipe pro ea gratias meas et persuasum tibi habe, nihil magis mihi in votis esse, quam ut tu, Academiae decus, cui grati discipuli nuperrime gratulati sumus festum diem, quum per octo lustra publicum docendi munus gessisses, diu adhuc in iuventutis et scientiarum commodum incolumis servere.*

Liceat tibi quoque, Clarissime DE VRIES, *animum gratum significare pro egregiis tuis erga me meritis, qui non dedignatus fueris me in familiaritatem tuam admittere, quam maximi me facere nil attinet dicere. Pro hac tua benevolentia proque egregia institutione, qua per breve tantum tempus mihi frui licuisse doleo, gratias tibi ago habeboque quam maximas.*

Sed neque vos hoc loco silentio praetermittere fas est, Clarissimi DOZY, STUFFKEN, KAISER *et* VERDAM, *quorum lectiones numquam desinam grato animo recordari.*

Maxima autem cum voluptate illud quoque tempus recolo, quo mihi, Athenaei Illustris Daventriensis alumno, licuit frui vestra disciplina, Clarissimi MATTHES, MEES, BOSSCHA, JONCKBLOET *et* VAN DER WILLIGEN, *quorum laudes hoc loco praedicarem, nisi optime scirem, vos meo praeconio facile posse carere. Accipite tamen iustas gratias pro eximia et egregia vestra erga me humanitate et benevolentia, quarum memoria numquam ex animo meo evanescet.*

Sed officio non prorsus defunctus sum. Ingrati esset, Clarissime GEEL, *quid tibi debeam praetermittere et silentio premere, qui adolescentem in amicitiam et familiaritatem recepisti, et semper saluberrimis prudentissimisque consiliis adiuvasti, pro quibus si minus tibi referenda gratia satisfacere potuero, at praedicanda et habenda certe satisfaciam.*

Verum doleo, FRATER CARISSIME, *non nisi ultimum locum tibi relinqui, ubi stet hoc grati animi publicum documentum, quum pro beneficiis in me collatis iure postulare posses, ut tibi primum omnium grati animi sensum significarem. Si enim aliorum praeceptis debeo, quod non plane hospes sim in iis literis, in quibus vitae tabernaculum ponere decrevi, tu potissimum moribus formandis et expoliendis vitae me aptiorem reddidisti, subinde iuvenili temeritate ruenti frena iniecisti, in dubiis rebus haerenti numquam consilio defuisti. Pro quibus omnibus, sicut pro hospitalitate tua egregia, qua me semper excepisti, quantopere me tibi obstrictum*

et obligatum sentiam, utinam ita dicere valerem, ut tu de me meritus es et sentit in pectore animus. Longus prosperae vitae cursus tibi contingat et ita semper laeta omnia eveniant, ut tibi gratus meus animus apprecetur.

Vobis denique omnibus, qui dulci amicitiae studiorumque vinculo hac in Academia mihi coniuncti fuistis, valedico. Utinam vestro animo grata sit mei temporisque quod una Lugduni Batavorum transegimus, recordatio.

Dabam Noorthey, mense Novembri.

CAPUT PRIMUM.

DE TRAGICIS.

Nemo, qui vel primis digitis attigerit comicorum reliquias, mirabitur me primum locum in hoc libello tragicis poëtis assignasse: in hos enim Aristophanes et caeteri comici prae omnibus acerrima tela coniiciebant: ipsi praeclari ingeniorum et poëseos spectatores non solum, quidquid tumidum erat et languidum, aut quomodocunque ineptum, urbane explodebant, sed praeclarissimum quodque, ut in cachinnos erumperent tota theatra, iocosissimae parodiae lusu in risum iocumque detorquebant (Cob. Plat. Com. p. 44). Non autem in hoc substiterunt, sed sicut omnium, ita tragicorum quoque vitae privatae sordes acriter perstringebant, cuius infra complura exempla proferentur. Aristophanes praeterea, secundum quem τοῖς παιδαρίοισιν ἔστι διδάσκαλος ὅστις φράζει, τοῖς ἠβῶσιν δὲ ποιηταί. (R. 1054) in omnibus poëtis et praesertim in tragicis requirebat, ut id unum in poësi spectarent, quomodo cives meliores redderent (R. 1009), et adeo acerbissime insectabatur, quicunque ab hac parte ei peccare videbatur; quamquam eum in hac re non sine cupidi-

et obligatum sentiam, utinam ita dicere valerem, ut tu de me meritus es et sentit in pectore animus. Longus prosperae vitae cursus tibi contingat et ita semper laeta omnia eveniant, ut tibi gratus meus animus apprecetur.

Vobis denique omnibus, qui dulci amicitiae studiorumque vinculo hac in Academia mihi coniuncti fuistis, valedico. Utinam vestro animo grata sit mei temporisque quod una Lugduni Batavorum transegimus, recordatio.

Dabam Noorthey, mense Novembri.

CAPUT PRIMUM.

DE TRAGICIS.

Nemo, qui vel primis digitis attigerit comicorum reliquias, mirabitur me primum locum in hoc libello tragicis poëtis assignasse: in hos enim Aristophanes et caeteri comici prae omnibus acerrima tela coniiciebant: ipsi praeclari ingeniorum et poëseos spectatores non solum, quidquid tumidum erat et languidum, aut quomodocunque ineptum, urbane explodebant, sed praeclarissimum quodque, ut in cachinnos erumperent tota theatra, iocosissimae parodiae lusu in risum iocumque detorquebant (Cob. Plat. Com. p. 44). Non autem in hoc substiterunt, sed sicut omnium, ita tragicorum quoque vitae privatae sordes acriter perstringebant, cuius infra complura exempla proferentur. Aristophanes praeterea, secundum quem τοῖς παιδαρίοισιν ἔστι διδάσκαλος ὅστις φράζει, τοῖς ἠβῶσιν δὲ ποιηταί, (R. 1054) in omnibus poëtis et praesertim in tragicis requirebat, ut id unum in poësi spectarent, quomodo cives meliores redderent (R. 1009), et adeo acerbissime insectabatur, quicunque ab hac parte ei peccare videbatur; quamquam eum in hac re non sine cupidi-

tate egisse infra ostendere conabimur. — His praemissis perlustremus iam omnes quorum tragica ars in fabulis Aristophaneis tangitur.

Incipiam a THESPIDE, qui quamvis proprie Tragicus dici non possit, tamen in prosopographia Aristophanica iure iis accensetur, quandoquidem Aristophanes eum pro tragico habuit, teste Vesp. 1479, ubi memorantur antiquae saltationes, *οἷς Θέσπις ἠγωνίζετο*; *ἀγωνίζεσθαι* enim idem esse quod fabulam docere testatur Ach. 140. [1]).

Multo nobilior est PHRYNICHUS, aemulus non contemnendus Aeschyli (R. 1299). Aristophanis tempore adhuc maiores natu eius carmina cantillabant (Vesp. 269, 220): nec immerito, erant enim ambrosia et dulcia, poetaque ea tanquam apis ex avium cantu delibaverat (Av. 749). Celebratissimum erat carmen e Phoenissis, cuius initium erat:

Σιδώνιον ἄστυ λιπόντες καὶ δροσερὰν Ἄραδον

(Hesych. *Γλυκέρῳ Σιδωνίῳ*: Schol. ad Vesp. 220), ad quod respicit Aristophanes Vesp. 220, ubi senes dicuntur cantillare carmina

ἀρχαῖα μελισιδωνοφρυνιχήρατα

(sic enim cum Aristarcho scribendum est. v. Schol.). Non solum autem carmina, sed *δράματα* quoque pulchra erant, nec minus

αὐτός τε καλὸς ἦν καὶ καλῶς ἠμπίσχετο

(Th. 164). — Videmus igitur satis honorifice de eo iudicare Aristophanem; verum non in eodem honore erat

[1]) Ioculariter Schol. Venet. Vesp. 1479. adnotavit ad nomen Thespidis: *ὁ κιθαρῳδός· οὐ γὰρ δὴ ὁ τραγικός.*

apud eos, qui e nova disciplina prodierant, hi enim una cum antiqua disciplina Phrynichum quoque contemnebant et *μωρούς* iudicabant spectatores, *τοὺς παρὰ Φρυνίχῳ τραφέντας*, quae verba sunt Euripidis (Ran. 910). Memoratur Vesp. 1490, 1524 genus saltationis *τὸ Φρυνίχειον*, in quo crura sursum iactabantur (Vesp. 1492, 1526), quod non dubito quin ad veterem illum Phrynichum sit referendum, quem ex Athenaeo (I. p. 22) constat saltandi magnum artificem fuisse, quam sententiam magnus Bentleius quoque amplexus est (Respons. ad Boyl. p. 146). Minus recte enim Meinekius I. p. 148 sq. haec retulit ad Phrynichum histrionem vel choreutam, quem Choroclis filium dicit Schol. Av. 750, quod vetus illa saltandi ars, quam Phrynichus tragicus excoluisset, honestior et venustior esset, quam quae sic ab Aristophane illudi potuerit. At, ut omittam nihil certi constare de veterum saltatione et in dramate saltem satyrico sine offensione *τὸ Φρυνίχειον* spectari posse, praetervidit vir doctissimus h. l. sermonem esse de vetusto saltandi genere. Senex enim ille Philocleo, ut Xanthias ait, (1478)

ὀρχούμενος τῆς νυκτὸς οὐδὲν παύεται
τἀρχαῖ' ἐκεῖν' οἷς Θέσπις ἠγωνίζετο,

quod minime cadere potest in histrionem illum, qui aequalis Aristophanis videtur fuisse (Schol. Nub. 1091).

Aristophanes, qui ut omnes Comici quidquid in consuetudine et institutis populi Attici reprehendendum videbatur explodebat, labefactatam quoque disciplinam maiorum, unde morum corruptela sui temporis ipsi originem traxisse videbatur, acriter exagi-

tare solebat. Non solum autem ipsam novitiam disciplinam sugillabat, ut fecit in Daetalensibus, sed etiam, quos eius auctores esse sibi persuaserat, acerbe perstringebat. Horum autem imprimis Euripides eius acerbitatem sensit, quem non solum accusabat, quod artem tragicam pessumdedisset, sed etiam, quod tragoediis suis cives corrumperet, quapropter eum tantopere oderat, ut ne mortuo quidem pepercerit, sed in Ranis omne virus in eum effuderit, de cuius comoediae instituto paucis erit videndum. Proposuerat sibi Aristophanes Euripidem male urere; quod propositum se non melius assecuturum putabat, quam opponendo ei alterum poëtam, qui toto caelo ab eo differret tum moribus, tum tragica arte. Itaque rem sic instituit, ut, quemadmodum in Daetalensibus τῷ καταπύγονι τὸν σώφρονα, et in Nubibus τῷ ἀδίκῳ τὸν δίκαιον λόγον opposuerat, sic in Ranis Euripidi opponeret Aeschylum, quo vix aptiorem personam potuisset eligere. Non facile enim quisquam tragicus reperiretur, qui ingenio et poësi magis ab Euripide discreparet: praeterea Aeschylus, qui aequalibus suis eximie placuerat, ut vel eius carmina in conviviis canerent, (Nub. 1365, fragm. 204), labefactata disciplina Athenis coeperat sordere; atque adeo recte censeri poterat in inferis odio incensus esse in auctorem, ut putabat, novitiae disciplinae, cuius alumni ipsum praeisto negligerent. Eum autem non amplius in eodem honore apud Athenienses fuisse quo tempore Ranae docerentur, satis tuto colligitur ex Ran. 807 et 809, ubi ad Xanthiam Aeacus ait:

οὔτε γὰρ Ἀθηναίοισι συνέβαιν' Αἰσχύλος,

et

λῆρόν τε τἄλλ' ἡγεῖτο τοῦ γνῶναι πέρι
Φύσεις ποιητῶν.

Mortui enim erant eo tempore plerique viri τοῦ παλαιοῦ κόμματος, inque eorum locum successerat nova soboles, quae iam 20 annis antea Aeschylum prae Euripide contemnebat, ut constat ex Nub. 1365 sqq. Non obstat meae opinioni, quod Aeschyli tragoediae etiam post eius mortem docebantur, unde haud absurde argumentum pro contraria sententia peti posset, nam primo demonstrari nequit hoc accidisse post annum 425, inter quem annum et Ranas doctas fere 20 anni intersunt, quo intervallo magis magisque vetus disciplina ruit, simulque eius poëtae. Deinde non docebantur istae fabulae, sicut Aeschylus eas dederat, sed *correctas* in certamen deferre posterioribus poëtis Athenienses permiserunt, quod Aeschylus rudis in plerisque et incompositus esset, ut scribit Quintilianus Inst. Orat. X. 1. 66; unde sequitur etiam salva veteri disciplina eum non in omnibus placuisse Atheniensibus, nam probabile est statim post eius mortem, cum maxime gloria clarus erat, eius fabulas doceri coeptas esse.

Non sine causa igitur Aristophanes Aeschylum delegit, qui cum Euripide de principatu in inferis contenderet et eius artem cavillaretur: nec tamen ipsum sine nota dimisit, sed per Euripidem, quae in eo minus probaret, libere exposuit: quamvis enim dubium non sit, quin Aeschylum Euripidi praeferat, tamen eius iudicio iniuriam faceremus, si existimaremus, eum omnia in Aeschylo probare et quae in eo reprehendat Euripides, ioci causa, neque ex animi senten-

tia addidisse. His praemonitis, quae necessaria mihi videbantur ad probe intelligenda ea, quae dicturus sum, quum alii aliter de Ranarum instituto iudicaverint, ad argumentum accedam et quam brevissime potero contraham, quae de Aeschylo apud Aristophanem leguntur.

Aristophanes nobis in Aeschylo exhibuit imaginem viri. τοῦ παλαιοῦ κόμματος, genuini Marathonomachae: pius est (R. 886), probitatem colit et totus spirat bellum: idem iracundior est et facile excandescit, si quid minus gratum audiat, ut omnes, qui ex veteri illa disciplina prodierant, hi enim solebant

τοῖς αἰσχροῖς αἰσχύνεσθαι κἄν τις σκώπτῃ σε φλέγεσθαι,

ut ait ὁ δίκαιος λόγος Nub. 992; habet denique ξύνεσιν ἠκριβωμένην (R. 1483, 1490) et servat civitatem γνώμαις ἀγαθαῖς (1502).

Quanti Aristophanes eius poësin aestimaverit cognosci potest e fragm. 565, ubi pulcherrime dixit eo mortuo tenebras per terras obortas esse (τεθνηκότος σκότος εἶναι, quod interpres Edit. Didotianae pessime vertit *tenebras cum esse mortui*). Erat poeta ἐριβρεμέτας, qui ῥήματα γομφοπαγῆ ἴει γηγενεῖ Φυσήματι (R. 823), cuius tamen magniloquentia maiestasque dictionis, atque verba ampullata, grandia et sonantia optime conveniebant sententiarum sublimitati (R. 1059). Nimius tamen erat in hoc studio magnificentiae, ita ut non hominum more, i. e. perspicue (ἀνθρωπείως) loqueretur (R. 1058) sed eius lingua nimis prodiga et infrenis fieret, quod maxime cernebatur cum in vocabulis illis molestis (ἐπαχθέσι), quae nemo intelligebat (R. 923—940), quibus tragicam artem tumentem se accepisse queritur Euripides, tum in obscuritate orationis; erat enim

ἀσαφὴς ἐν τῇ Φράσει τῶν πραγμάτων

et non satis singulorum verborum vim ponderabat, sed modo falsa, modo bis idem dicebat, quod Euripides in prologo Choephorarum demonstrare conatur (1120—1174). Hinc non sine causa Euripides eum appellat (R. 837)

ἄνθρωπον ἀγριοποιόν, αὐθαδόστομον,
ἔχοντ' ἀχάλινον ἀκρατὲς ἀπύλωτον στόμα,
ἀπεριλάλητον, κομποφακελορρήμονα.

Cum quo loco omnino conferenda sunt verba Phidippidis in Nubibus 1367, qui Aeschyli carmen canere recusat, quod eum iudicet poëtam

ψόφου πλέων, ἀξύστατον, στόμφακα, κρημνοποιόν:

cui simillimus locus legitur fr. 526, ubi alumnus novitiae disciplinae, fortasse ὁ καταπύγων in Daetalensibus, de Aeschyli σκληρότητος loquens ait: οἶμαι γὰρ αὐτὸν κόλλοπι | ἐοικέναι (Lege προσεικέναι eodem modo quo Cobetus emendavit Vesp. 1142 in Varr. Lect. p. 73). Huc autem non trahendus, ut quidam fecerunt, locus qui legitur Ran. 1045, ubi Euripides ad Aeschylum, qui dixerat:

οὐδ' οἶδ' οὐδεὶς ἥντιν' ἐρῶσαν πώποτ' ἐποίησα γυναῖκα,

respondet:

Μὰ Δί' οὐδὲ γὰρ ἦν τῆς Ἀφροδίτης οὐδέν σοι.

Haec enim non significare possunt: *tibi nihil gratiae inerat*, quum seriores demum hanc vocabuli Ἀφροδίτης significationem frequentare coeperint.

Primus Graecorum ἐπύργωσε ῥήματα σεμνὰ καὶ ἐκόσμησε τραγικὸν λῆρον (R. 1004), quae verba intelligenda esse de iis quae in tragoediis novaverit, iam Blomfieldus recte monuit in praef. Persarum p. VII. ed.

Lips. Eodem pertinet fragmentum inc. V. VI apud Mein. (Ath. 21. f.) ubi de se ipse Aeschylus praedicat: τοῖς χοροῖς αὐτὸς τὰ σχήματ' ἐποίουν, cum antea tragici, si sic eos appellare fas est, uterentur ὀρχηστοδιδασκάλοις. Non solum autem in τῇ ὀρχηστικῇ multa novavit, sed histrionum apparatum quoque multo augustiorem reddidit et hac ratione tragoediae maiestatem auxit, quamquam in hac quoque re nimius fuisse arguitur ab Euripide (Ran. 962), quum spectatores perterreret

Κύκνους ποιῶν καὶ Μέμνονας κωδωνοΦαλαραπώλους.

Ad Homeri imitationem fortes et magnanimos suos heroes effinxerat (R. 1040), ut cives incenderet ad illos aemulandos et belli studio inflammaret: fecerat hoc adeo in Persis (R. 1026) et in Septem contra Thebas, δράματι Ἄρεος μεστῷ (R. 1021), qua fabula cives reddiderat

. . . γενναίους καὶ τετραπήχεις, καὶ μὴ διαδρασιπολίτας, μηδ' ἀγοραίους, μηδὲ κοβάλους, ὥσπερ νῦν, μηδὲ πανούργους, ἀλλὰ πνέοντας δόρυ καὶ λόγχας καὶ λευκολόφους τρυ- (Φαλείας:

quamquam in hac quoque re modum non tenuit; nimis saepe enim bella et arma loquitur, quod facete Euripides κρανοποιεῖν appellat (R. 1018).

Salse perstringit Aristophanes affectatam eius personarum gravitatem et praelonga chori cantica in eius Phrygibus sive Hectoris λύτροις [1]) et in Niobe Ran.

[1]) Secutus sum in his auctoritatem Schol. Ravennatis, qui diserte tradit hanc scenam fuisse in Phrygibus s. Hectoris λύτροις. Minime enim placet Welckeri sententia (Aeschyl. Trilog. p. 416 sq.) qui hanc scenam et in Myrmidonibus et in Phrygibus esse putat

911 sqq., ubi ridet eum quod Achillem et Nioben per magnam fabulae partem velatis capitibus et ne verbum quidem proferentes induxit, dum chorus uno tenore ὁρμαθοὺς μελῶν ἐφεξῆς τέτταρας canebat.

Restat, ut dicam de iis, quae Euripides reprehendat in Aeschyli carminibus, ad quam particulam quippe difficillimam vix accedere audeo: dicam tamen, ut potero. Ostendere sibi proposuit Euripides eum esse κακὸν μελοποιόν et semper eadem repetere (R. 1250), ideoque ad tibiam (Schol. 1264) canit carmen conflatum e versibus dactylicis, quorum singulos sequitur anapaesticus ille notissimus e Myrmidonibus

ἰὴ κόπον οὐ πελάθεις ἐπ' ἀρωγάν;

quo carmine finito ad citharam canit aliam στάσιν μελῶν ἐκ τῶν κιθαρῳδικῶν νόμων εἰργασμένην i. e. chori canticum citharoedicis modis aptatum, quod itidem constat e versibus dactylicis, quos eodem modo quo in superiore carmine alternat cum ridiculo illo:

τοΦλαττόθρατ τοΦλαττόθρατ.

Utriusque carminis versus undecunque ex Aeschyli fabulis petiti sunt, nec ullo orationis nexu inter se cohaerent, ex quibus qui aliquem sensum extricare conati sunt oleum et operam perdiderunt, non enim attenderunt sic obscurari id, quod Euripides voluit ostendere, scilicet Aeschyli carmina non esse nisi in-

propter scholium ioculare, quod Venetus cum Cod. Θ commune habet: εἰκὸς τὸν ἐν τοῖς Φρυξὶν Ἀχιλλέα ἢ Ἕκτορος λύτροις ἢ τὸν ἐν Μυρμιδόσιν, ὃς μέχρι τριῶν ἡμερῶν οὐδὲν φθέγγεται, quod frustra viri docti emendant. Alias causas, propter quas mihi Welckeri sententia minus probabilis videtur, alibi proferam.

anem grandisonorum verborum strepitum, quem nemo intelligeret. Idem voluit cum illo τοφλαττόθρατ, quo non puto citharae sonum exprimi, ut Fritzchius vult ad h. l., sed perstringi Aeschylum tanquam ἀσυνετοποιόν, ut recte Scholiasta ad vs. 1286 annotat, eadem de causa suspicor Bacchum τοφλαττόθρατ appellare restiariorum carmina, quum homines, qui eiusmodi opera exercent monotona fere et nihil significantia carmina canere soleant, quam explicationem tamen libenter mittam, si quis meliora edocuerit: pleraque enim h. l. sunt valde obscura, quod praesertim valet de verbis Aeschyli, qui Baccho roganti unde tandem haec restiariorum carmina sumserit, respondet:

ἀλλ' οὖν ἐγὼ μὲν ἐς τὸ καλὸν ἐκ τοῦ κακοῦ
ἤνεγκον αὖτ', ἵνα μὴ τὸν αὐτὸν Φρυνίχῳ
λειμῶνα Μουσῶν ἱερὸν ὀφθείην δρέπων:

in quibus nihil video.

Metrum utriusque carminis, ut iam diximus, est dactylicum et quod Metrici appellant Aeolicum, qua de causa suspicor Euripidem in summo metrorum artifice carpsisse immoderatum et nimium, ut ipsi videbatur, versuum Aeolicorum usum, quos praelongos fecisse testimonio est carmen in Persis 864 sqq. Incertius etiam est, quid in musica Euripides reprehendendum habuerit, cum res musica Veterum altis tenebris adhuc obducta sit et Scholiasta nisi unico loco nihil de hac re annotaverit. Unicum autem illud scholion exstat ad verba ἐκ τῶν κιθαρῳδικῶν νόμων (vs. 1282), ubi doctus Grammaticus annotat: Τιμαχίδας γράφει, ὡς τῷ ὀρθίῳ νόμῳ κεχρημένου Αἰσχύλου (Fritzchius συνεχῶς vel simile quid inseri iubet) καὶ

ἀνατεταμένως, quae verba ad alterum tantum carmen, in quo τοφλαττόθρατ est, pertinent, non vero ad utrumque carmen, ut Fritzchius vult, qui praetervidit hoc scholion non priori, sed alteri carmini adscriptum esse, et illud ad tibiam cantatum esse (Sch. 1264), hoc vero ad citharam, cum ὄρθιος νόμος citharam requireret, cf. Herod. I. 24. Euripides igitur, ad imitationem Aeschyli sine dubio, usus est in altero carmine τῷ ὀρθίῳ νόμῳ, sed ne sic quidem multum proficimus, quandoquidem de illo metro nihil fere notum est, nisi quid sit ὄρθιος pes, de quo vide Hermannum in Elem. Doctr. Metr. p. 660 sqq. quocum conferantur, quae Fritzchius ad Ranarum vs. 1264 annotavit.

Laetus ex his angustiis pedem proripio et transeo ad Sophoclem, de quo, quamvis non saepe eius mentionem faciat, satis honorifice Aristophanes iudicat. Ran. 1518 dicitur σοφίᾳ δεύτερος post Aeschylum, et fragm. 231 habet epitheton vere ornans τοῦ μέλιτι κεχριμένου, in Pace denique vs. 531 eius μέλη inter bona Pacis recensentur. Moribus dicitur Ran. 82 facilis (εὔκολος), quae facilitas in eo quoque cernitur, quod cum descendisset ad inferos et cum Aeschylo de solio posset contendere, nihil horum faceret, sed dextras iungeret eumque oscularetur (787). Reprehendit eum tamen propter avaritiam Pac. 695, ubi Trygaeus Mercurio, qui rogat, quid rerum agat Sophocles, respondet, eum ex Sophocle fieri Simonidem,

ὅτι γέρων ὢν καὶ σαπρὸς
κέρδους ἕκατι κἂν ἐπὶ ῥιπὸς πλέοι,

quae ultima parodia sunt proverbii

θεοῦ θέλοντος κἂν ἐπὶ ῥιπὸς πλέοις.

De Simonidis Φιλοκερδίᾳ omnia nota sunt, de Sophocle autem unus Aristophanes testis est: at luculentus ni fallor, ut ei fidem negare non ausim, quamquam non credo verum esse eum ἐκ τῆς στρατηγίας τῆς ἐν Σάμῳ ἀργυρίσαι, quod nonnullos tradidisse auctor est Schol. ad h. l. Nullo modo autem quae Aristophanes tradit de eius avaritia quadrant cum iis, quae narrantur de actione, quam filii contra eum instituisse dicuntur, quod rem familiarem negligeret. Non enim avari hoc est: neque veri simile, eum qui anno aetatis septuagesimo fere avarus fuerit, postea ad meliorem frugem rediisse, crescere enim praesertim in senibus solet avaritia. Alterum utrum igitur verum est, aut Aristophanes mentitur, aut narratio ista conficta est. Equidem nullus dubito auctoritatem aequalis, quem non probabile est ei, quem aliis locis eximie laudat, h. l. petulantia comica pessimum vitium africuisse, praeferre fabellae, quae idoneo auctore caret, et alio modo narratur ab alio. Accedit, quod Sophocles filium Iophontem, quem plerique narrant illam litem patri intendisse, usque ad mortem dilexisse videtur, satis constans enim fama Athenis erat patrem filio in fabulis componendis operam locare, quam non obscure Aristophanes significat Ran. 73, ubi Bacchus dubius haeret, utrum eum bonis an malis poëtis adscribat, seque inquisiturum dicit, quid in poësi praestare possit sine patre, qui tum recens mortuus esset.

Tragoedia eius Tereus tangitur in Avibus 100, ubi Epops ad Pisthetaerum et Euelpidem, qui ipsum propter rostrum irridebant, regerit:

τοιαῦτα μέντοι Σοφοκλέης λυμαίνεται
ἐν ταῖς τραγῳδίαισιν ἐμὲ τὸν Τηρέα.

Quibus verbis, si bene ea capio, Aristophanes carpit poëtam, quod in scena Tereum repraesentaverit rostratum post metamorphosin et sic maiestatem tragoediae laeserit, nam, ut Horatius Ep. ad Pis. 187 recte monet: »Ne coram populo ..... in avem Procne vertatur".

Mittamus iam Sophoclem et videamus, quid de Euripide, qui vere magna pars comoediarum Aristophanis dici potest, summus Comicus senserit, in quo argumento, quippe latissimo, quantum potero, brevitati studebo.

Initium faciam ab eius genere, quod Aristophanes tanquam minus honestum risisse notissimum est; dictitat nempe eum matre natum esse, quae olera venderet et tam saepe hinc iocos petiit, ut non opus sit locos adscribere. Videntur tamen hae merae calumniae esse; erat enim Euripides τῶν σφόδρα εὐγενῶν, ὡς ἀποδείκνυσι Φιλόχορος (Suidas in voce Εὐριπίδης), inter cuius argumenta hoc quoque fuisse suspicor, quod tradit Theophrastus apud Athenaeum X. p. 424: πυνθάνομαι δ' ἔγωγε καὶ Εὐριπίδην τὸν ποιητὴν οἰνοχοεῖν Ἀθήνησι τοῖς ὀρχησταῖς καλουμένοις. Ὠρχοῦντο δ' οὗτοι περὶ τὸν τοῦ Ἀπόλλωνος νεὼν τὸν Δηλίου τῶν πρώτων ὄντες Ἀθηναίων, quae cum aliis affert Athenaeus, ut demonstret apud veteres pueros splendidissimo genere ortos in sacris quibusdam pincernae munus obire solitos fuisse. Adversatur quidem Theopompus apud Aul. Gellium XV. 20, qui eadem fere tradit quae Aristophanes, sed quominus quidquam moveamur eius

auctoritate prohibet eius maledicentia, qua cupide eum Aristophanis commenta arripuisse credo.

Hoc igitur Aristophanes ipse commentus esse videtur. Cum aliquanto maiore veri specie R. 1048 dicit, eius uxorem, quae Scholiasta ad initium Thesmophoriazusarum auctore filia erat Mnesilochi et nomen habebat Χοιρίλης, (sic enim scribendum cum auctore vitae Euripideae, quam edidit Elmsleius, non χοιρίνη, ut Schol. Thesm. et Suidas habent) thalamos contemerasse; nam de Atticis mulieribus imprimis valet, quod de omnibus dixit Aristophanes in Daedalo fr. V.

πάσαις γυναιξὶν ἐξ ἑνός γέ του τρόπου
ὥσπερ παροψὶς μοιχὸς ἐσκευασμένος.

Quidam eorum qui Euripideas vitas conscribillarunt, rem satis gravem etiam augentes, dicunt eam rem habuisse cum Cephisophonte mariti amico, et Euripidem re cognita amice eam amico concessisse; sed huius rei, quam non inepte suspiceris e Comico aliquo ductam esse, apud Aristophanem mentio non fit, non magis quam duarum uxorum quas Aul. Gellius XV. 20. ridicule ait eum simul habuisse. — Euripides familiariter usus videtur quem modo memoravi Cephisophonte, et hinc explicandum, quod Euripides ab Aristophane dicitur eius opera usus esse in carminibus pangendis (μονῳδίᾳ, fr. 231 b. Ed. Did. cl. Ran. 944), quod fortasse non minus falsum est quam quod in Nubibus prioribus [1]) dicit Socratem ei fabulas scri-

[1]) Legitur apud Diogenem
Εὐριπίδης δ' ὁ τὰς τραγῳδίας ποιῶν
τὰς περιλαλοίσας οὗτός ἐστι τὰς σοφάς.

psisse loquacitatis plenas (Diog. Laert. II. 5. 2), quod non facile adducar ut credam, Socratis enim ingenium plane a poësi abhorrebat, quod abunde patet ex initio fabulae Aesopeae, quam ille metro elegiaco adaptare conatus est apud Diog. Laert. l. l. 42.

Minus etiam credibile est, ut hoc obiter addam, Mnesilochum generum in tragica poësi adiuvisse, ut tradidit Teleclides [1]) apud Mein. II. 371, huius enim

quos versus sine idonea causa Teleclidi vindicare conatus est Dindorfius Poet. Scen. 1830. p. 573, quem secutus est Meinekius II. 372. Multo simplicior mihi videtur Cobeti ratio, qui Εὐριπίδῃ legendo pro Εὐριπίδης violentam illam transpositionem vocabulorum τὰς σωκρατογόμφους supervacaneam fecit.

[1]) Sequor h. l. Dindorfium, qui ex misere corruptis verbis vitae Euripideae, quam edidit Elmsleius: δοκεῖ δὲ αὐτῷ καὶ Σωκράτης ὁ φιλόσοφος καὶ Μνησίλοχος συμπεποιηκέναι τινά, ὥς φησι Τηλεκλείδης· Μνησίλοχος δὲ ἐκεῖνος φρυγικόν τι δρᾶμα καινὸν Εὐριπίδῃ καὶ Σωκράτης ὑποτίθησι: et ex verbis Diogenis Laertii l. l. ἐδόκει δὲ (Socrates) συμποιεῖν Εὐριπίδῃ, ὅθεν Μνησίλοχος οὕτω φησί: φρύγες ἐστὶ καινὸν δρᾶμα τοῦτ Εὐριπίδου ᾧ καὶ Σωκράτης τὰ φρύγανα ὑποτίθησι, satis feliciter hos versus expiscatus est

Μνησίλοχός ἐστ' ἐκεῖνος, ὃς φρύγει τι δρᾶμα καινὸν
Εὐριπίδῃ καὶ Σωκράτης τὰ φρύγαν' ὑποτίθησιν.

Eius ratio mihi saltem praestare videtur illi Cobeti, pace dicam viri clarissimi, qui in sua Editione Diog. Laert. apud Didot hunc locum sic legit: ὅθεν Μνησίμαχος οὕτω φησί:

Φρύγες ἐστὶ καινὸν δρᾶμα τοῦτ' Εὐριπίδου
. . . . . ᾧ καὶ Σωκράτης
τὰ φρύγαν' ὑποτίθησι.

Nam si utrobique idem fragmentum sed variis modis corruptum legitur, quod vix negari posse puto, adscribendum est Teleclidi, quia diserte tanquam auctor in vita Euripidea nominatur, cuiusque nomen apud Diogenem excidisse arbitror. Aetas quoque, qua Mnesimachus vixit, impedit, quominus clarissimi viri correctionem

ingenium, si ex veritate illud proposuit Aristophanes initio Thesmophoriazusarum, plane ἄμουσον est.

Si autem minus credimus Aristophani eum Socratis opera usum esse in fabulis componendis, facile eidem fidem habemus, quum dicit eum familiaritate cum illo coniunctum fuisse, quamvis non credam eos nihil fecisse nisi garrire et immorari σεμνοῖσι λόγοισι καὶ σκαριφισμοῖσι λήρων, ut idem narrat R. 1491.

Non minus autem Aristophanem eius studium philosophandi offendebat, quam librorum conquirendorum studium (de quo videatur Athen. p. 3 et Diog. Laert. II. 5. 22) quod hodie docto poëtae maximae laudi foret. Bis itaque libros eius cum contemtu memorat, Ran. 945, 1409; credebat enim Aristophanes libris corrumpi iuventutem, de quo locus classicus est in Tagenistis, fr. 418, ubi nescio quis ait:

τὸν ἄνδρα τόνδ' ἢ βιβλίον διέφθορεν,
ἢ Πρόδικος, ἢ τῶν ἀδολεσχῶν εἷς γέ τις.

Transeamus iam ad rem aliquanto maioris momenti et videamus, quid Aristophanes de eius tragica arte iudicaverit, cuius crisin quamdam proposuit in Ranis; in qua comoedia omnis generis criminationes protulit, quibus demonstraret Euripidem prorsus pessumdedisse tragicam artem, τὰ μέγιστα παραλιπόντα τῆς τραγῳδικῆς τέχνης (R. 1494), de quibus deinceps agemus.

Ac in dictione quidem, de qua primo loco dicam, Aristophane iudice, quisquilias tantum et minutias sec-

Μνησίμαχος pro *Μνησίλοχος* (de quorum confusione cf. Schol. Av. 471) probem, fuit enim poeta mediae comoediae, ut testatur Suidas in voce, quem hos versus fecisse non temere credam.

tatur; eius verba nimis subtiliter examinata et ad unguem exacta omni pondere carent, unde cum contemtu ῥημάτια (Ach. 444. Pac. 534) eiusque versus ἐπύλλια (Ran. 942) dicuntur, et toto coelo differunt a ponderosis et audacibus verbis Aeschyli, quae illis opponere solet, de qua re cf. canticum Chori (R. 814—830) et scenam illam ludicram, ubi verba et versus ad lances adducuntur; verbo artem tragicam emaciavit eique omnem gravitatem tanquam succum ademit (R. 940). Aliud quid, quod Aristophanes in eius dictione carpit, spectat prologos, horum enim priores versus sic eum facere ait, ut salvo metro et grammatica constructione in fine versuum inseri possit ληκύθιον ἀπώλεσεν vel tale quid, quod ostendit in prologis septem tragoediarum (R. 1200 sqq.). Nunquam bis idem dicit ut Aeschylus, qui v. c. κλύειν, ἀκοῦσαι uno tenore ponit (R. 1173), sed habet os rotundum, ut est in fragmento quantivis pretii e Σκηνὰς καταλαμβανούσαις (fr. 397), quod adscribam:

χρῶμαι γὰρ αὐτοῦ τοῦ στόματος τῷ στρογγύλῳ,
τοὺς νοῦς δ' ἀγοραίους ἧττον ἢ 'κεῖνος ποιῶ [1]).

quibus versibus respondet adversariis, qui ei obiecerant, quod rideret quidem Euripidem, at tamen eundem imitaretur, ut v. c. Cratinus fecit in fragm. inc. 155, ubi nescio quis appellatur

ὑπολεπτολόγος γνωμοδιώκτης εὐριπιδαριστοφανίζων.

Non tantum autem in dictione Euripides parum

[1]) Oratio στρογγύλος dicitur, ut Ernestii verbis utar, quidquid verbis et sententiis ita enunciatum est, ut in eorum forma concinnitas, elegantia et artificium appareat.

prospexit cothurni dignitati, sed in eo quoque, quod Melpomenen ad res minutas et domesticas detrusit (R. 959 cl. Porson. ad Eur. Or. 1106), unde eius poësis abiecta et humilis facta est (*νοῦς ἀγοραῖοι* fr. 597). Indidit enim arti tragicae *λογισμὸν καὶ σκέψιν* (R. 973), i. e. personas suas introducit tanquam philosophos de qualibet re controversias moventes et in utramque partem disputantes, quae disputationes non sine aculeo *ἀντιλογίαι* (Ran. 775) et *περίπατοι* (Ran. 942) appellantur, sicut ipse *ποιητὴς ῥηματίων δικανικῶν* (Pac. 534), et refertae sunt *λυγισμῶν καὶ στροφῶν* (R. 775), quae vocabula proprie usurpata de saltatoribus, metaphorice sumenda sunt de artificiis sophisticis, quibus personae Euripideae utuntur; unde explicandum videtur, quod Euripides ipse dicatur versipellis, *στρεψίμαλλος τὴν τέχνην*, fr. 542.[1]). Solent porro eius personae simulac exeunt genus suum declarare (R. 946), quas genealogias merito ridet Aristophanes Ach. 47, qui non minus recte explosit ridiculum Euripidis studium derivandi nomina propria; sic, ut noto exemplo utar, quum Euripides nomen Amphionis inde derivasset, quod *ἀμφὶ τὴν ὁδόν* i. e. *παρὰ τὴν ὁδόν* editus esset, Aristophanes rectissime in Thesmophoriazusis alteris (fr. 304) observat, si hoc verum esset,

Ἀμφοδὸν ἐχρῆν αὐτῷ τεθεῖσθαι τοὔνομα.

Quod Aristophanes, ut supra diximus, poësin Euripidis humilem et abiectam iudicavit, imprimis id dic-

[1]) Aristophani adstipulatur Quinctilianus Inst. Orat. X. 1. 67 quum Euripidem futuris oratoribus commendat, quippe cuius sermo accedat oratorio generi.

tum puto de *γνώμαις*, quibus fabulas farcire solet (Nub. 924 c. Schol.), quarum complures ut insulsae ab Aristophane ridentur: v. c. illa ex Polyido:

τίς οἶδεν εἰ τὸ ζῆν μέν ἐστι κατθανεῖν,
τὸ κατθανεῖν δὲ ζῆν, ὑπνοῦν δὲ κατθανεῖν;

quae una cum notissima illa ex Aeolo:

ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος.

et aliis largam iocandi materiem Comico praebuerunt (Ran. 1471 et alibi), et in causa fuerunt, cur tragicum *ψευδολόγον* appellaret (R. 1521). Idem minime neglexit eum exagitare propter locos, quales leguntur in eius Bellerophonte fr. XX, in Melanippa fr. I. et alibi, in quibus personae Euripideae dubitant an sint dii, sed eorum causa tragicum tanquam novatorem circa divina proposuit, qui non precatur diis, quibus vulgo solebant, sed privatis quibusdam novae notae (Ran. 890), quique viris persuasit non esse deos (Thesmoph. 450). In hac re autem nonnihil calumniatur Aristophanes, minime enim negabat Euripides deos esse, sed contra multo puriores notiones de diis habebat quam aequales, ut liquido ostendit Valckenaerius in aurea Diatribe p. 37 sqq.: si autem eius personae aliquid impium fundunt, convenit hoc eorum ingeniis, ut v. c. impio Bellerophonti. Meliore iure initio Thesmophoriazusarum explodit insanum Euripidis studium philosophandi in scena et magistri Anaxagorae placita exponendi, de qua re quominus plura addam, prohibet egregia illa et exquisitae doctrinae disputatio Valckenaerii l. l. p. 25 sqq.

Diximus de Euripidis poësi. Iam videndum quid iudicaverit Aristophanes de personis, quas in scenam

produxit, in quibus duo potissimum reprehendebat: primum, quod non satis curiosus esset in personis eligendis, sed omnes domesticos heroum in scenam produceret (Ran. 949), unde saepe personis non convenientes sermones tribueret, ut recte Schol. ad h. l. annotat, deinde quod in ratione, quam sequeretur in excitanda auditorum miseratione, decori rationem non haberet. Quo enim vehementius commoveret eorum animos, reges et heroes pannis indutos et claudos in scenam producebat (Ran. 1063), unde nomen duxit τοῦ πτωχοποιοῦ et ῥακιοσυλλεκτάδου (Ran. 843). Nobilissimus locus de hac re exstat in Acharnensibus vs. 410. sqq., ubi recensentur omnes, quos Euripides mendico habitu repraesentavit: Bellerophon scilicet, Thyestes, Ino [1]), Oeneus, Philoctetes, Phoenix et Telephus. Claudi fuerunt Bellerophon (Ach. 426) et Philoctetes si fides habenda est Scholiastae ad Pac. 147.

Non minus male gravitati tragoediae consulebat, quod scurrilibus inventis favorem vulgi captare conaretur; ex quo genere est quod Bellerophontem et Perseum Pegaso insidentes in scenam produxit (Pac. 76. Thesm. 1098 c. scholl.), porro quod Echo fecit Andromedae querelis respondentem et Oeacem Palamedis

[1]) Tragoediam Ino Aristophanes iterum tangit in Vesp. 1412, ubi ebrius Philocleo ad Chaerephontem, quem antestata erat mulier panaria, ait:

καὶ σὺ δή μοι, Χαιρεφῶν,
γυναικὶ κλητείειν ἔοικας θαψίνῃ
Ἰνοῖ κρεμαμένῃ πρὸς ποδῶν Εὐριπίδου.

mortem palmulis remi inscribentem in ψυχρῷ, ut Aristophani videbatur, Palamede, quorum illud Th. 1008, hoc Th. 848 lepidissime castigatur.

In nulla re autem magis decorum violabat, quam in partibus quas feminis dabat: fecit enim nutricem Phaedrae lenae officio fungentem, Augen in templo parientem et Canachen rem habentem cum fratre Macareo (Ran. 1079, Nub. 1371, Ran. 849), tandem Phaedram et Stheneboeam adulteras [1]) (Ran. 1043. sqq.). Quae res ansam dedit Aristophani ad irridendum eum tanquam μισογύνην, qui consulto argumenta quaereret, ubi partes dari possent malae mulieri, sed nunquam mulierem, qualis Penelope esset, in scenam produxisset, quia modesta esset (Th. 546). In quibus non nihil calumniarum inesse suaviter, ut solet, ostendit K. O. Müller, Gesch. d. Griech. Lit. II. 146.

Transeo ad melica carmina Euripidis, de quibus quid iudicaverit Aristophanes lepide significavit in Ran. 1309 sqq, ubi Aeschylus μέλος et monodiam ad imitationem Euripidis canit: de quibus priusquam dicam pauca praemittam de Musica illorum temporum. Exeunte scilicet saeculo quinto una cum disciplina mutabatur Musica; gravis enim et solemnis illa veterum Atheniensium paullatim locum cedere coeperat novo generi, quod qui sequebantur poetae nu-

[1]) Melanippa quoque nominatur inter malas mulieres, quas Euripides ἐποίει (Th. 547), sed de illius tragoediae argumento fere nihil notum est. Quae autem Ahrens de ea narrat in Editione Didotiana Fragmentorum Euripidis, minime conveniunt cum Aristophanis testimonio.

meris multo quam antea liberioribus utebantur et licentias olim inauditas sibi sumebant: quarum una haec erat, quod in vetere et probata musica (sunt verba Fritzchii ad Ran. 1314), quot syllabae metro verborum continebantur, totidem musicae notae inerant, recentior contra non dubitabat eandem syllabam aliquoties repetere, ut compluribus notis pro una daretur locus. Quis miretur haec ferre non potuisse Aristophanem? Invehitur in omnes, qui hoc modo musicam corrumpebant et igitur Euripidi, qui totus addictus erat novae musicae, quemque pessime oderat, non pepercit. Arguit eum pessumdedisse musicam (Ran. 1493), eiusque carmina, quae faciebat ad imitationem

σκολίων Μελήτου, Καρικῶν αὐλημάτων,
θρήνων, χορείων (Ran. 1302),

indigna iudicat lyrae honore, sed cani iubet sub crepitu testarum, abiectissimi instrumenti musici (Ran. 1305 cum Schol. cf. Casaubonum in Animadvers. ad Athenaeum V. 4). Numeri enim non satis conveniebant maiestati et dignitati tragoediae, sed erant effeminati, soluti, molles et *ἐκλελυμένοι*, ut vere annotat Scholiasta: eorumque varietas tanta erat, ut propterea Euripidem comparet cum Cyrene, famosissima meretrice, quae duodecim figuras coitus profitebatur (Ran. 1328). Neque solum eam licentiam sibi permittebat, ut interdum eandem syllabam aliquoties repeteret (Ran. 1348, 1314. *εἰειειειειειλίσσουσα*), de qua re iam supra locuti sumus, sed saepe etiam integras voces iterabat, quae res hodie quoque Euripidis lectori tam saepe nauseam parit (1338 alibi). Haec sunt

fere vitia, quae carpit Aristophanes in Euripidis carminibus et imitando expressit in iis, quae Aeschylum canentem fecit ad eius imitationem. Consarcinavit autem illa carmina ex frustulis Euripideis undecunque collectis, quibus pauca de suo admiscuit: admodum ludicra sunt, praesertim monodia, in qua mulier queritur, quod ipsius ancilla furata sit gallum; argumentum sane vile, sed quod consulto elegit, quo perstringeret Euripidem, quod in carminibus quoque melicis Melpomenen ad res minutas et domesticas detruderet.

Postremo loco videamus de gravissimo crimine, quod Aristophanes in Euripidem protulit. Nempe non tantum vitio ei vertit, quod tragicam artem pessumdederit, sed etiam quod mores Atheniensium corruperit. Si enim Aristophanem audias, Euripides cives suos

λαλιὰν ἐπιτηδεῦσαι καὶ στωμυλίαν ἐδίδαξεν
ἢ ἐξεκένωσε τάς τε παλαίστρας καὶ τὰς πυγὰς ἐνέτριψεν
τῶν μειρακίων στωμυλλομένων καὶ τοὺς παράλους ἀνέπεισεν
ἀνταγορεύειν τοῖς ἄρχουσιν,

(R. 1069), unde auctor exstitit, ut urbs

ὑπογραμματέων ἀνεμεστώθη
καὶ βωμολόχων δημοπιθήκων
ἐξαπατώντων τὸν δῆμον ἀεί.

quales fere Clitophon et Theramenes erant, qui Ran. 967 prodiisse dicuntur ex Euripidis disciplina; verbo cives *ἐκ χρηστῶν καὶ γενναίων μοχθηροτάτους ἀπέδειζεν* (R. 1011), neque adeo placebat bonis, sed

τοῖς λωποδύταις καὶ τοῖσι βαλλαντιοτόμοις
καὶ τοῖσι πατραλοίαισι καὶ τοιχωρύχοις,

et in genere *τῷ δήμῳ τῶν πανούργων*, qui eum *σοφώτατον* existimabant (R. 771, sqq.), cum revera *πανοῦρ-*

meris multo quam antea liberioribus utebantur et licentias olim inauditas sibi sumebant: quarum una haec erat, quod in vetere et probata musica (sunt verba Fritzchii ad Ran. 1314), quot syllabae metro verborum continebantur, totidem musicae notae inerant, recentior contra non dubitabat eandem syllabam aliquoties repetere, ut compluribus notis pro una daretur locus. Quis miretur haec ferre non potuisse Aristophanem? Invehitur in omnes, qui hoc modo musicam corrumpebant et igitur Euripidi, qui totus addictus erat novae musicae, quemque pessime oderat, non pepercit. Arguit eum pessumdedisse musicam (Ran. 1493)*, eiusque carmina, quae faciebat ad imitationem

σκολίων Μελήτου, Καρικῶν αὐλημάτων,
θρήνων, χορείων (Ran. 1302),

indigna iudicat lyrae honore, sed cani iubet sub crepitu testarum, abiectissimi instrumenti musici (Ran. 1305 cum Schol. cf. Casaubonum in Animadvers. ad Athenaeum V. 4). Numeri enim non satis conveniebant maiestati et dignitati tragoediae, sed erant effeminati, soluti, molles et *ἐκλελυμένοι*, ut vere annotat Scholiasta: eorumque varietas tanta erat, ut propterea Euripidem comparet cum Cyrene, famosissima meretrice, quae duodecim figuras coitus profitebatur (Ran. 1328). Neque solum eam licentiam sibi permittebat, ut interdum eandem syllabam aliquoties repeteret (Ran. 1348, 1314. *εἰειειειειειλίσσουσα*), de qua re iam supra locuti sumus, sed saepe etiam integras voces iterabat, quae res hodie quoque Euripidis lectori tam saepe nauseam parit (1338 alibi). Haec sunt

fere vitia, quae carpit Aristophanes in Euripidis carminibus et imitando expressit in iis, quae Aeschylum canentem fecit ad eius imitationem. Consarcinavit autem illa carmina ex frustulis Euripideis undecunque collectis, quibus pauca de suo admiscuit: admodum ludicra sunt, praesertim monodia, in qua mulier queritur, quod ipsius ancilla furata sit gallum; argumentum sane vile, sed quod consulto elegit, quo perstringeret Euripidem, quod in carminibus quoque melicis Melpomenen ad res minutas et domesticas detruderet.

Postremo loco videamus de gravissimo crimine, quod Aristophanes in Euripidem protulit. Nempe non tantum vitio ei vertit, quod tragicam artem pessumdederit, sed etiam quod mores Atheniensium corruperit. Si enim Aristophanem audias, Euripides cives suos

λαλιὰν ἐπιτηδεῦσαι καὶ στωμυλίαν ἐδίδαξεν
ἢ ’ξεκένωσε τάς τε παλαίστρας καὶ τὰς πυγὰς ἐνέτριψεν
τῶν μειρακίων στωμυλλομένων καὶ τοὺς παράλους ἀνέπεισεν
ἀνταγορεύειν τοῖς ἄρχουσιν,

(R. 1069), unde auctor exstitit, ut urbs

ὑπογραμματέων ἀνεμεστώθη
καὶ βωμολόχων δημοπιθήκων
ἐξαπατώντων τὸν δῆμον ἀεί.

quales fere Clitophon et Theramenes erant, qui Ran. 967 prodiisse dicuntur ex Euripidis disciplina; verbo cives *ἐκ χρηστῶν καὶ γενναίων μοχθηροτάτους ἀπέδειζεν* (R. 1011), neque adeo placebat bonis, sed

τοῖς λωποδύταις καὶ τοῖσι βαλλαντιοτόμοις
καὶ τοῖσι πατραλοίαισι καὶ τοιχωρύχοις,

et in genere *τῷ δήμῳ τῶν πανούργων*, qui eum *σοφώτατον* existimabant (R. 771, sqq.), cum revera *πανοῦρ-*

γος esset (Ran. 80, 1520). Sunt autem haec fere eadem crimina, atque ea quae ὁ δίκαιος λόγος in Nubibus obiicit τῷ ἀδίκῳ λόγῳ, quorum ille, ut recte Hermannus ad vs. 888 observavit, quasi effigies quaedam est vitae morumque antiquorum, hic novitiorum: adeoque criminationes illae Aristophanis eo fere redeunt, ut Euripidem accuset, quod novam disciplinam Athenas introduxerit et sic civium mores corruperit. Non meum consilium est h. l. examinare, utrum vere Aristophanes dixerit necne, Atheniensium mores suo tempore magis corruptos esse, quam quum Aeschylus viveret, neque quibus causis corruptela, si qua fuit, tribuenda sit: hoc tantum dico, Aristophanem falso maiorum disciplinam mutatam et mores corruptos ad Euripidem retulisse. Primum enim neminem fugit, Euripidem, qui floruerit quinti seculi posteriore parte, novae disciplinae alumnum, nec vero auctorem esse, de qua re cf. si tanti est, Müllerum Gesch. d. Gr. Lit. II. p. 142, 148. Deinde ridiculum est statuere tragoedias etiam illis temporibus tantam vim exercuisse, ut civitatis mores corrumperent, nedum illas Euripidis; quae, quamvis eximie placerent iis, qui ex eadem qua Euripides disciplina profecti essent, et Sophistarum institutione usi philosophiae caeterisque liberalioribus studiis sese dedissent [1]), non in eo-

[1]) Cf. v. c. Nub. 1371, ubi Phidippides, discipulus Socratis, eximie laudat Euripidem, et Plut. Alc. 11, unde discimus Alcibiadem maximi fecisse Euripidem, quippe cui victorias suas Olympicas celebrare negotium dederit. Falso aliquis mihi obiiceret Ran.

dem honore erant apud reliquam multitudinem, quae, philosophiam exosa, minime delectabatur philosophicis istis disputationibus, quibus Euripides tragoedias oneravit magis quam ornavit.

Euripidi adiungam Cephisophontem et Mnesilochum, quum neuter nisi coniunctim cum Euripide memoretur. De illo autem nihil fere notum est, praeter ea, quae dicuntur ab Aristophane in fragmento 231 b., quod Editores sine idonea causa ad Gerytadem retulerunt, ubi nescio quis his verbis eum alloquitur:

Κηφισοφῶν ἄριστε καὶ μελάντατε,
σὺ δὴ ξυνέζης ἐς τὰ πόλλ' Εὐριπίδῃ
καὶ συνεποίεις, ὥς φασι, τὴν μελῳδίαν.

quibuscum cf. Ran. 944, 1408, 1452 et quae supra disputavimus. Dicitur οἰκογενὲς μειράκιον in vitis Euripidis, quas ediderunt Blochius et Zimmermannus, quibuscum consentit Schol. Ran. 944; quod inde fluxisse videtur, quod, qui in Acharnensibus servus Euripidis in scenam prodit, in Codicibus et a Scholiasta ad vs. 395 Cephisophon esse dicitur; adversatur Elmsleius, qui ad Acharn. l. l. contendit hoc falsum esse, et vel nomen eius indicium ingenuitatis praebere, quod nemo servulo nomen ἀττικώτατον imposuisset, quapropter nomen Cephisophontis ex dramatis personis exemit. Facile assentior Elmsleio in eo, quod primo loco posuit, Cephisophontem non fuisse servum, sed minus probo, quod ei locum negaverit inter dramatis personas: po-

1427, ubi Euripides vituperat Alcibiadem, de quo loco postea videbimus.

tuit enim Aristophanes eum comica licentia tanquam servum introducere in scenam, eodem modo quo Demosthenem et Niciam, quamvis in dissimili re, servos τοῦ Δήμου finxit. Aliquanto probabilius videtur quod tradit Thomas Magister, eum fuisse Euripidis ὑποκριτήν, quamvis huius testimonio nihil praestare ausim.

Minus etiam notum est de Mnesilocho, Euripidis socero, ut auctores sunt Schol. Thesm. init. et vitarum scriptores, quamvis magnae eius partes sint initio Thesmophoriazusarum. Proponit eum Aristophanes tanquam hominem rudem et rusticum, qui mollem et delicatum Agathonem continuo spurcissimis dicteriis proscindit.

Proximum post tres tragoediae principes locum iure suo postulat Agathon vel iudice Aristophane, qui eum inter bonos poëtas recenset. Forma erat muliebri,

εὐπρόσωπος, λευκός, ἐξυρημένος,
γυναικόφωνος, ἁπαλός, εὐπρεπὴς ἰδεῖν.

(Th. 191), cui convenit eius cultus; habet enim στρόφιον, κροκωτόν, κεκρύφαλον, μίτραν et reliqua, quae ad cultum mulierum pertinent, quae vide vs. 250—265, praeterea novaculum (Th. 218). Summam itaque mollitiem ei obiicit, quam ei in Gerytade quoque vitio vertisse auctor est Scholiasta ad Luciani Rhet. praec. 11, qui sua hausit e Scholio ad Platonis Symposium p. 172 a., quod valde corruptum ad nos pervenit.

Multo gravius est quod eum εὐρύπρωκτον vocavit (Th. 35, 206), quod utrum verum sit necne, hodie vix diiudicare possumus. Fuit quidem τὰ παιδικά Pausaniae, ut ex Platone et Xenophonte notissimum est, et fieri

igitur potest, ut Aristophanes verum dixerit, sed in talibus Comici aliquanto maledicentiores sunt, quam ut iis temere credi possit. Lucianus tamen omnia quae Aristophanes narrat, pro veris habuisse videtur, nam Praecept. Rhetor. 11 Agathonem cum Sardanapallo et Cinyra composuit, quod nimium esse quisque facile mihi dabit.

In Ranis vs. 84 Bacchus queritur Agathonem

ἀγαθὸν ποιητὴν καὶ ποθεινὸν τοῖς φίλοις

ipsum deseruisse et profectum esse ἐς μακάρων εὐωχίαν, in quorum verborum explicatione iam veteres interpretes dissentiunt; alii enim putant his alludi ad eius mortem, alii ad eius commorationem in aula Archelai, cum qua Athenas mutaverat. Illos secutus est Fritzchius, quem vide ad h. l., hos Clar. Ritschelius in libello de Agathone p. 19, cuius libri inspiciendi copiam mihi defuisse doleo. Equidem horum sententiam amplectendam duxi primum propter testimonium Platonis, deinde propter loci Aristophanei rationem. In Platonis Symposio scilicet p. 172 fin. diu post convivium Agathonis habitum Apollodorus dicit, ὅτι πολλῶν ἐτῶν Ἀγάθων ἐνθάδε οὐκ ἐπιδεδήμηκεν, tum ἀφ' οὗ δ' ἐγὼ Σωκράτει συνδιατρίβω, οὐδέπω τρί' ἔτη ἐστίν. Quo igitur anno Apollodorus haec dicebat, Agathon adhuc superstes erat et multis annis Athenas non viserat. Potuit vero hoc colloquium non haberi ante annum 406, quo doctae sunt Ranae, siquidem Agathon non ante annum 411 [1]) Athenas reliquerit, et quinque anni, qui in-

[1]) Agathonem non ante annum 411 Athenas reliquisse ex eo demonstari potest, quod adesse debuerit Athenis, quo anno Thes-

tuit enim Aristophanes eum comica licentia tanquam servum introducere in scenam, eodem modo quo Demosthenem et Niciam, quamvis in dissimili re, servos τοῦ Δήμου finxit. Aliquanto probabilius videtur quod tradit Thomas Magister, eum fuisse Euripidis ὑποκριτήν, quamvis huius testimonio nihil praestare ausim.

Minus etiam notum est de Mnesilocho, Euripidis socero, ut auctores sunt Schol. Thesm. init. et vitarum scriptores, quamvis magnae eius partes sint initio Thesmophoriazusarum. Proponit eum Aristophanes tanquam hominem rudem et rusticum, qui mollem et delicatum Agathonem continuo spurcissimis dicteriis proscindit.

Proximum post tres tragoediae principes locum iure suo postulat Agathon vel iudice Aristophane, qui eum inter bonos poëtas recenset. Forma erat muliebri,

εὐπρόσωπος, λευκός, ἐξυρημένος,
γυναικόφωνος, ἁπαλός, εὐπρεπὴς ἰδεῖν.

(Th. 191), cui convenit eius cultus; habet enim στρόφιον, κροκωτόν, κεκρύφαλον, μίτραν et reliqua, quae ad cultum mulierum pertinent, quae vide vs. 250—265, praeterea novaculum (Th. 218). Summam itaque mollitiem ei obiicit, quam ei in Gerytade quoque vitio vertisse auctor est Scholiasta ad Luciani Rhet. praec. 11, qui sua hausit e Scholio ad Platonis Symposium p. 172 a., quod valde corruptum ad nos pervenit.

Multo gravius est quod eum εὐρύπρωκτον vocavit (Th. 35, 206), quod utrum verum sit necne, hodie vix diiudicare possumus. Fuit quidem τὰ παιδικά Pausaniae, ut ex Platone et Xenophonte notissimum est, et fieri

igitur potest, ut Aristophanes verum dixerit, sed in talibus Comici aliquanto maledicentiores sunt, quam ut iis temere credi possit. Lucianus tamen omnia quae Aristophanes narrat, pro veris habuisse videtur, nam Praecept. Rhetor. 11 Agathonem cum Sardanapallo et Cinyra composuit, quod nimium esse quisque facile mihi dabit.

In Ranis vs. 84 Bacchus queritur Agathonem

ἀγαθὸν ποιητὴν καὶ ποθεινὸν τοῖς φίλοις

ipsum deseruisse et profectum esse ἐς μακάρων εὐωχίαν, in quorum verborum explicatione iam veteres interpretes dissentiunt; alii enim putant his alludi ad eius mortem, alii ad eius commorationem in aula Archelai, cum qua Athenas mutaverat. Illos secutus est Fritzchius, quem vide ad h. l., hos Clar. Ritschelius in libello de Agathone p. 19, cuius libri inspiciendi copiam mihi defuisse doleo. Equidem horum sententiam amplectendam duxi primum propter testimonium Platonis, deinde propter loci Aristophanei rationem. In Platonis Symposio scilicet p. 172 fin. diu post convivium Agathonis habitum Apollodorus dicit, ὅτι πολλῶν ἐτῶν Ἀγάθων ἐνθάδε οὐκ ἐπιδεδήμηκεν, tum ἀφ' οὗ δ' ἐγὼ Σωκράτει συνδιατρίβω, οὐδέπω τρί' ἔτη ἐστίν. Quo igitur anno Apollodorus haec dicebat, Agathon adhuc superstes erat et multis annis Athenas non viserat. Potuit vero hoc colloquium non haberi ante annum 406, quo doctae sunt Ranae, siquidem Agathon non ante annum 411 [1]) Athenas reliquerit, et quinque anni, qui in-

[1]) Agathonem non ante annum 411 Athenas reliquisse ex eo demonstari potest, quod adesse debuerit Athenis, quo anno Thes-

teriecti sint inter hunc annum et Ranas doctas, non dici possint πολλὰ ἔτη, quod insuper ex verbis ipsius Apollodori, ἀφ' οὗ — ἐστίν patet. Quum igitur opus sit, ut Apollodorus hoc aliquot annis post Ranas doctas sit locutus, sequitur Agathonem, de quo tanquam de vivo mentionem faciat, post illud tempus inter vivos fuisse. Eandem rationem ipse locus commendat, quod praesertim in hac re non contemnendum est, cum periculosum sit in chronologia unius Platonis auctoritate niti. Qui enim iocus sit in verbis ἐς μακάρων εὐωχίαν, si intelligenda sunt de mortuo, haud facile quis dixerit. Si vero de vivo ea intelligimus, admodum festiva sunt. Qui enim sententiae priorem partem ἐς μακάρων audit, exspectat secuturum esse vocabulum νήσους, ut mortuus homo dicatur; iam vero Bacchus παρ' ὑπόνοιαν, unde quam saepe iocos petierint Comici non attinet dicere, addit εὐωχίαν, et sic iocose perstringit mollem hominem, quod lautissimam aulam tyranni praetulerit patriae.

Non minus dissentiunt viri docti in explicandis vocabulis ποθεινὸν τοῖς φίλοις, alii enim consuetudinis suavitatem, alii epulas splendidas fuisse dicunt, quas amici desiderarent; quarum sententiarum utram sequar dubius haereo.

Quamvis Aristophanes de poësi eius in universum satis

mophoriazusae doctae sint i. e. vere anni 411, nam non verisimile est Aristophanem ei tantas partes daturum fuisse, si iam Athenas reliquisset; nec, si absentem nihilominus perscidisset; causam, cur Athenas reliquisset, tangere supersedisset. Optime confirmat hanc rationem Aristoteles Eudem. III. 5, qui narrat, quid Antiphon condemnatus dixerit ad Agathonem. Incidit autem Antiphontis condemnatio in annum 411. cf. Clintonem.

honorifice videatur iudicasse, siquidem eum Ran. 83 bonum poëtam appellet, multa tamen erant, quae minus in eo probabat, quae in Thesm. vs. 48 sqq. indicavit per famulum Agathonis, qui bona verba iubet, quod herus in scenam proditurus sit;

μέλλει γὰρ ὁ καλλιεπὴς Ἀγάθων
δρυόχους τιθέναι δράματος ἀρχάς,
κάμπτει δὲ νέας ἀψῖδας ἐπῶν·
τὰ δὲ τορνεύει, τὰ δὲ κολλομελεῖ,
καὶ γνωμοτυπεῖ κἀντονομάζει
καὶ κηροχυτεῖ καὶ γογγύλλει
καὶ χοανεύει.

Carpit eum igitur, quod dictione utatur nimis artificiosa, limata et quaesita et delectetur usu figurarum Rhetoricarum, quod non mirandum in homine, qui studiose sophistis operam dederat (cf. Plat. Symp. p. 198, c. et Protagor. p. 315. d.). Imprimis ἀντίθετα illi in deliciis fuisse videntur, quod ostendit ipse Aristophanes in fr. 500 b., et satis constat ex fragmentis, quorum unum exempli gratia adscripsimus ex Athenaeo V. p. 211.

εἰ μὲν φράσω τἀληθές, οὐχί σ' εὐφρανῶ,
εἰ δ' εὐφρανῶ τί σ', οὐχὶ τἀληθὲς φράσω.

(alia eiusdemmodi vide Athen. V. init. XIII. p. 584. Aristotel. Eudem. V. 4. Aristophanes autem non satis habuit quasi imaginem eius dictionis proponere, sed insuper imitatione eam expressit cum in eius sermone[1]) (vid. v. c. Th. 146 sqq.), tum in carmine,

[1]) Ad Aristophanis exemplum Plato quoque in Symposio Agatho-

quod eum in scena meditantem fecit Thesm. 100—130. Ipse scilicet Agathon foras prodit, secum meditans carmen, in quo praedicantur laudes Phoebi, Dianae et Latonae; carmen divisum est inter actorem et chorum, quorum utriusque partes unus Agathon in scena agit [1]), ut Scholiasta ad vs. 101 monet et res ipsa docet, non enim de altero choro, neque cum Fritzchio de parachoregemate cogitari potest: praeter dictionis elegantiam nihil admodum habet quo se commendet, sed contra satis insulsum est et omni sententiarum gravitate caret, ut, nisi Aristophanes comicorum more vitia in maius auxerit, non admodum sit dolendum eius opera periisse. Numeri carminis, qui sunt maximam partem Ionici, molles sunt, quam ob causam Mnesilochus exclamat:

ὡς ἡδὺ τὸ μέλος, ὦ πότνιαι γενετυλλίδες,
καὶ θηλυδριῶδες καὶ κατεγλωττισμένον
καὶ μανδαλωτόν, ὥστ' ἐμοῦ γ' ἀκροωμένου
ὑπὸ τὴν ἕδραν αὐτὴν ὑπῆλθε γάργαλος.

Ad eandem numerorum mollitiem pertinet lemma, quod non citato auctoris nomine legitur apud Hesychium et Suidam: Ἀγαθώνειον αὔλησιν· τὴν μαλακήν, quod fortasse ex comico desumtum est.

---

nis dictionem imitatione expressit, de qua re vide Groen Prosopograph. Platonic. p. 167.

[1]) Fritzchius ideo Scholiastae fidem non habendam esse existimat, quod sic totus chorus, cui tantum tribuat Agathon ad ineptam quandam lusionem planeque putidam detrudatur. At hoc argumentum pro mea sententia pugnat, quum Aristophanes haec ad irridendum Agathonem conscripserit. Idem e versibus 41, 107 et 112 concludit, chorum istum compositum fuisse e Musis, quod nollem virum ingeniosissimum posuisse.

Pervenimus nunc ad minus probatos poëtas quorum agmen ducat Carcinus cum filiis. Ipsum nomen Aristophani largam iocandi materiem dedit: dicitur ποντομέδων ἄναξ (Vesp. 1531), θαλάσσιος θεός (Ibid. 1519), eiusque filii squillarum fratres (Vesp. 1522). Poëta erat nihili cui Chorus Musam precatur ne velit morem gerere, si ipsam supplicat μετὰ τῶν παίδων χορεῦσαι (Pac. 781 sqq.). Valde obscurum est, quid eodem loco vs. 791 sqq. velint ultimae strophae verba:

καὶ γὰρ ἔφασχ' ὁ πατὴρ ὃ παρ' ἐλπίδας
εἶχε τὸ δρᾶμα γαλῆν τῆς
ἐσπέρας ἀπάγξαι.

quibus poëta rationem reddit, cur Carcinus indignus sit, cui Musa opituletur. Non multum proficimus ex Scholiasta, qui annotat: διαβάλλει δὲ αὐτὸν ὡς νόθον περὶ τὰ κλέμματα (Meinekius corrigit νωθρὸν περὶ τὰ σκέμματα). Ἄλλως. δρᾶμα ἐποίησε τοὺς Μύας· διὰ τοῦτο καὶ γαλῆν εἶπεν ἀπάγξαι. nam Carcinum non valde ingeniosum fuisse in argumentis fabularum, quod voluisse videtur, qui priorem Scholii partem fecit, ipsi quoque sine Scholiastae ope ex Aristophanis verbis expiscari possumus: qui autem alteram partem fecit, proposuit coniecturam eamque non admodum felicem, quod sentiens Th. Bergkius, correxit Μινύας, qua coniectura quid lucremur equidem me nescire fateor. Sed mittamus hunc locum, quem metuo, ut unquam explicari possit, et potius videamus de numero filiorum Carcini, in quo multum turbari video. Carcinus enim, quem propter εὐπαιδίαν felicem praedicat Aristophanes (Vesp. 1512), ex aliorum opinione tres, ex aliorum rursus quatuor

habuit filios, inter quos quum vel acutissimum Meinekium dubium haerere videam, in animo est demonstrare conari, eos errasse, qui quatuor filios eum habuisse tradiderint. Ac primum quidem Aristophanes, quem verum numerum filiorum, quos tam saepe irrisit, ignorasse non est probabile, non nisi tres cognitos habuisse videtur, memorat enim Vesp. 1502. *τὸν μέσατον*, quod facere non potuisset, si quatuor fuissent: cum eo consentit Scholiasta Ran. 781, qui insuper nomina addit Xenoclem, Xenotimum, et Xenarchum (cf. Schol. Vesp. 1534. et Schol. quod exstat in annotatione Duebneri ad Schol. Nub. 1260). Adversantur autem huic sententiae Schol. ad Ran. 86, secundum quem Xenocles tres habebat fratres Xenoclitum, Xenotimum, Datidem, et Schol. ad Vesp. 1502, qui ad vocabulum *μέσατος* non satis perspicue annotat, *ἀκριβῶς δὲ ἔοικε λέγειν, τέσσαρες μὲν δή εἰσιν· ἀλλ' οἱ τρεῖς χορευταὶ, Ξενοκλῆς δὲ ποιητής· καταλέγει αὐτοὺς σαφῶς Φερεκράτης.* Hoc voluisse videtur, in fine Vesparum tres filios Carcini, qui *χορευταί* essent, perstringi, sed non Xenoclem, qui tragicus esset. At Xenocles erat et choreuta et Tragicus poëta, quod patet e vs. 1509 c. Schol., ubi Aristophanes, tertio filio memorato, addit *ὃς τὴν τραγῳδίαν ποιεῖ*, ut indicet Xenoclem, unde sequitur falsam eius explicationem esse. Iam vero inspiciamus locum Pherecratis, in quo illo Scholiasta auctore *σαφῶς αὐτοὺς καταλέγει*, forte fortuna enim locus quamvis corruptissimus exstat in Scholio ad Vesp. 1509: *δῆλον δὲ* (scil. Xenoclem humilis staturae fuisse) *ἐκ τῶν Φερεκράτους Ἀγρίων: καὶ Καρκίνος μέν τις ἦν ὁ Θωρυκίου υἱός. ἦσαν δὲ αὐτῷ τρεῖς τινες*

μικροὶ κομῆται τότε καὶ νῦν εἰσι μικροὶ καὶ κομῆται. Φίλαρχοι τότε παῖδες ἦσαν ὄντες νῦν φιλαρχικώτεροι. μὰ τὸν Δί' οὐ τρεῖς τε ἐκεῖνοί εἰσιν οἱ τέτταρες. Quae frustra emendare et in versus redigere conatus est Meinekius (Hist. Crit. p. 515 et Fr. Com. II. 258) quamvis probem, quod *φιλορχικώτεροι* et *φίλορχοι* emendavit. Verba ipsa vix sanari possunt, sed talis fere sententia loci fuisse videtur. Narrat nescio quis fabellam de Carcino eiusque filiis, cuiusmodi in Lysistrata vs. 781—822. narrantur de Timone et Melanione, cuius rei indicium praebent pronomen *τις* et usus Imperfecti temporis. Narratorem, qui tres eum filios habere dixerat, interrumpit alius, qui ioco dicit, eos non tres sed quatuor numero esse propter causam sine dubio iocularem, quam in vss. sequentibus, qui temporis iniuria perierunt, exposuit. Si hoc modo bene explicui locum, de quo iudicent peritiores, statuendum est Scholiastam Vesp. 1502 loco Pherecratis abusum esse, eique non magis credendum esse quam Schol. ad Ran. 86, qui insuper addidit nomina quatuor filiorum. Consideremus iam nomina trium filiorum: omnes conspirant in nominibus Xenoclis et Xenotimi, Xenarchus apparet in Schol. Pac. 781, qui verum numerum tradidit: Demotimus in Schol. Aldino Nub. 1261: *οἱ δὲ Καρκίνου παῖδες Ξενοκλῆς καὶ Ξενότιμος καὶ Δημότιμος, καὶ ὁ μὲν χορευτὴς, Ξενοκλέης δὲ τραγῳδίας ποιητής.* Sed ex ipso scholio apparet non nisi de duobus sermonem esse et abundare nomen Demotimi, quod ex interpolatione Musuri in textum venit, nec in Veneto vel Ravennate comparet. In Scholio ad Ran. 86 denique leguntur Xeno-

CLITUS et DATIS, quorum hoc nomen in Graeco ridiculum est. Optio igitur nobis datur inter Xenarchum et Xenoclitum, quorum equidem suspicor Xenarchum verum esse, quia legitur in Scholiasta, qui verum numerum ternarium tradidit, et cui non est quod fidem negemus, deinde quia Scholiasta Ran. 86 Xenoclitum istum facile potuerit arripere e varia lectione nominis Xenoclis, cum terminationes *-κλῆς* et *-κλειτος* passim confundantur. Ingeniose Meinekius suspicatur Datim cognomen fuisse inditum Xenocli, quod eius poësi haud obscura Datismi vestigia impressa essent, maxime propter Schol. Pac. 289, qui memorat Datim tanquam filium Carcini et Tragicum poëtam.

Tres illi autem fuerunt *τραγῳδοί* (Vesp. 1498), histriones, qui non solum voce et gestu, ut hodie fit, sed saltatione quoque partes agebant, mali sunt ludiones, *ὁ μέσατος* praesertim, qui *οὐδὲν ἐν τῷ ῥυθμῷ ἐστιν* (Vesp. 1504); sunt contentiosi (*ὄρτυγες οἰκογενεῖς*), praelonga cervice deformes (*γυλικύχενες ὀρχησταί*), pumiliones (*ναννοφυεῖς, σφυράδων ἀποκνίσματα* Pac. 789 sqq.), quod ultimum corporis vitium saepissime Comici exagitarunt (vid. fin. Vesparum). Xenocles praeterea, qui fratrum *ὁ σμικρότατος* erat (Vesp. 1510), malas tragoedias faciebat (Thesm. 170, 440, Vesp. 1511, Ran. 86) [1]) quarum frigiditatem et exilitatem videtur compensare voluisse immoderato machinarum usu, unde *μηχανοδίφης* dicitur Pac. 790 [1]), eodem modo quo Plato in Sophistis eum appellavit *δωδεκαμήχανον*, et hoc fortasse artificio an. 415 Euripidem vicit, quam rem indignatur Aelianus Var. Hist. II. 8. (Parodiam eius Licymnii vide Nub. 1260). Mores non magis quam poësis probabantur Aristophani, dicit enim eum *κακόν* Thesm. 170, et *τὸν πιννοτήρην τοῦ γένους* Vesp. 1510, quibus verbis carpit eius gulositatem, ut annotat Scholiasta [2]).

Sequitur PHILOCLES, filius Philopithis (Sch. Av. 280) ex sorore Aeschyli, de quo Aristophanes iudicium declaravit uno versiculo, qui legitur Thesm. 168:

ταῦτ' ἄρ' ὁ Φιλοκλέης αἰσχρὸς ὢν αἰσχρῶς ποιεῖ.

Erat enim facie turpi, unde cognomen *κορυδοῦ* accepit [3])

[1]) *ἄξεστος* et *ἀλληγορικός* erat in poësi, teste Schol. ad Ran. 86.

[1]) Proprie tres fratres dicuntur *μηχανοδῖφαι*, sed iam doctus Scholiasta observavit hoc ad unum Xenoclem esse referendum.

[2]) Dubius haereo in explicatione vocabuli *τριόρχαις* Vesp. 1531:

καὐτὸς γὰρ ὁ ποντομέδων ἄναξ πατὴρ προσέρπει
ἡσθεὶς ἐπὶ τοῖσιν ἑαυτοῦ παισί, τοῖς τριόρχαις.

τριόρχης proprie significat eum, qui tres testiculos habet: metaphorice autem hominem incontinentem et maximis deditum libidinibus, quomodo hoc vocabulo usus est Timaeus apud Polybium XII. 15. 2, ubi vide interpretes. Quominus autem h. l. sic accipiamus scrupulum iniicit, quod aliis locis eorum libidinem non tangat Aristophanes et quod Scholiasta Venetus annotat, *ἔπαιξε διὰ τὸ τρεῖς εἶναι. ἔστι δὲ ὁ τριόρχης ὄρνεον*, ut terminatione - *ὀρχης* alludatur ad saltandi artem, quam exercerent. Commendat nonnihil Scholiastae interpretationem cognomen eorum *ὀρχίλος* (Vesp. 1513), quod non alia de causa iis dedisse Aristophanem suspicor, nisi quod huius avis nomen incipiat ab iisdem litteris, quibus verbum *ὀρχεῖσθαι*. Cf. tamen Schol. Vesp. 1513.

[3]) Cognomen *κορυδοῦ* Scholiasta Av. 1295 inde derivat, quod fuerit *ὀξυκέφαλος*, quod improbat doctus Scholiasta ad Thesm. 168, nulla alia de causa eum *κορυδόν* appellatum scribens, nisi quod parvus et turpis esset.

(Av. 1295), et carmina male audiebant propter asperitatem (Vesp. 461) quae causa est, cur filius Ἀλμίωνος (Schol. Av. 280) et χολή (Suidas Φιλοκλῆς) appellatus sit. Plagii eum arguit Aristophanes Av. 280, quum dicit upupam, in quam Tereus mutaretur in eius trilogia Pandionide, avum habere upupam ex Sophoclis Tereo.

Minus etiam, si fieri potest, Aristophanes probabat eius filium Morsimum qui non ex sutore medicus, sed e bono oculorum medico (Schol. Ran. 151) pessimus tragicus factus est. Cf. Eq. 401, Pac. 801, Ran. 151.

Eiusdem farinae est Melanthius, cuius vox πικροτάτη dicitur (Ran. 805), cuique cum fratre in faciem inspuere rogatur Musa (l. l.). Gulositas horum fratrum summa fuit, ut et alii testantur, quos vide apud Bergkium in Commentationibus p. 340, et Aristophanes, a quo appellantur

γοργόνες ὀψοφάγοι, βατιδοσκόποι, ἅρπυιαι,
γραοσόβαι, μιαροί, τραγομάσχαλοι, ἰχθυολῦμαι.

In altero versu γραοσόβαι, μιαροί, τραγομάσχαλοι denotant foedum corporis habitum, qui aniculis terrorem iniiciebat, sic enim malo accipere γραοσόβαι, quam cum aliis vertere *anuum fututores*; constat enim ex Av. 151, Melanthium vitiligine s. lepra, foedissimo morbo laborasse. De Melanthii ligurritione confer praeterea Pac. 1009, quo loco simul habebis parodiam eius Medeae, quae unica est ex eius tragoediis, cuius titulus nobis servatus sit.

Sequitur Theognis poëta frigidus (Thesm. 170), Χιών cognominatus (Schol. Ach. 11), cuius fabularum tanta erat frigiditas, ut quo tempore Athenis doceret

fabulam, tota Thracia nive geluque obriguerit (Ach. 139).

Unus restat Meletus, nam Pythangeli, cuius semel cum contemtu mentionem facit Aristophanes Ran. 87, nomen posuisse sufficit. Flagitiosum autem Meletum non tam propter tragoedias, quas superbe opinor spernebat Aristophanes, quam propter morum pravitatem traduxit. Neque enim ad eius tragoedias referendum puto, quod eius scolia numerantur inter τὰ πορνίδια, ad quorum imitationem sua carmina composuisse Euripidem ait Aeschylus (Ran. 1302), ut fecit Scholiasta ad Platon. Apolog. p. 18. b., qui annotat Meletum ut malum poëtam tragicum ab Aristophane rideri in Ranis. Probabilius videtur per scolia illa intelligenda esse carmina amatoria, quae fecisse Meletum auctor est Epicrates in Antilaide apud Athenaeum XIII. p. 605. d.

τὰ 'ρωτίκ' ἐκμεμάθηκα ταῦτα παντελῶς
Σαπφοῦς, Μελήτου, Κλεομένους, Λαμυνθίου.

Semel tantum eius tanquam Tragici mentionem facit in fragm. I. Gerytadis, in qua fabula propter gracilitatem corporis legatus a tragoedis ad inferos mittitur. Quae praeterea de eo apud Aristophanem leguntur, continentur Scholio supra laudato ad Platonem, quod adscribam:

Μέλητος δὲ τραγῳδίας φαῦλος ποιητής, Θρᾳξὶ γένος, ὡς Ἀριστοφάνης Βατράχοις, Πελαργοῖς Λαΐου υἱὸν αὐτὸν λέγων, ἐπεὶ ᾧ ἔτει οἱ Πελαργοὶ ἐδιδάσκοντο καὶ ὁ Μέλητος Οἰδιπόδειαν καθῆκεν (sic recte Meineke emendavit ἔθηκεν), ὡς Ἀριστοτέλης Διδασκαλίαις, ἐν δὲ Γεωργοῖς ὡς Καλλίαν περαίνοντος αὐτοῦ μέμνηται. Secundum

hunc igitur Aristophanes Meletum in Ranis ut Thracem i. e. peregrinum, qua de causa multi Athenis perstringebantur, exagitavit, cuius rei in nostris Ranis nec vola nec vestigium est. Mirum vero accidit quod in Porsoni schedis, ubi hoc scholion descripsit, illa verba Θρᾷξ γένος non appareant (v. Dobraeum in Porsonis Aristophaneis p. 124 in addendis), quare non sine veri specie Fritzchius suspicatur (Quaest. Arist. p. 44), haec verba in codice Bodleiano margini apposita esse et sic a Gaisfordio, qui scholia illa descripsit, pro ipsius Scholiastae verbis habita esse. Equidem codice non inspecto nihil pronuntiare audeo, praesertim cum scholion mutilum ad nos pervenerit. Quod autem Laii filium eum dixit Aristophanes in Pelargis, recte Fritzchius, improbata Scholiastae interpretatione, accipiendum vidit de incesto puerorum amore, quo primus Laius in Chrysippum exarsisse fertur a Graecis (Quaest. Arist. 45 sq.). In Γεωργῶν fragmento autem in quo ei obiicit Aristophanes, quod perciderit Calliam, Bergkius legit ὡς Καλλίου περαίνοντος αὐτόν, quod hoc melius utriusque aetati conveniat (v. Frag. Arist. p. 993), quae sane speciosa coniectura est, quamvis obstet quod Callias a Schol. ad Lucian. Iov. Trag. dicatur πασχητιῶν.

Merito reus fierem negligentiae, si praetermitterem memorare hoc loco, quid Aristophanes iudicarit de contemtissimo tragicorum genere, quod sub finem belli Peloponnesiaci succrevit. Erat nempe illud tempus, quod nostra quoque patria vidit, quum quisque adolescentulus, etiam cui minime poëtica vena flueret, poësi operam dabat, et praesertim tragoediis com-

ponendis bonum otium terebat. Plerique horum pseudo-tragicorum Euripidem, qui inventuti illorum temporum in deliciis erat, sibi imitandum proposuerant, sed quod fieri solet in *servili pecore*, in iis tantum, quae reprehensione non carebant. Merito igitur Aristophanes sugillat illa μειρακύλλια πλεῖν ἢ μύρια Ran. 89, ubi dicit ea esse,

Εὐριπίδου πλεῖν ἢ σταδίῳ λαλίστερα,

et nihil aliud quam

ἐπιφυλλίδες . . . . . καὶ στωμύλματα,
χελιδόνων μουσεῖα, λωβητὰ τέχνης,
ἃ Φροῦδα θᾶττον, ἢν μόνον χορὸν λάβῃ,
ἅπαξ προσουρήσαντα τῇ τραγῳδίᾳ [1]).

[1]) Hunc locum sic distinguo:
ΗΡΑ. οὐκουν ἕτερ' ἔστ' ἐνταῦθα μειρακύλλια τραγῳδίας ποιοῦντα; ΔΙΟ. πλεῖν ἢ μύρια, Εὐριπίδου πλεῖν ἢ σταδίῳ λαλίστερα· ἐπιφυλλίδες κτέ.

CAPUT SECUNDUM.

DE COMICIS.

Quam vere antiquus poëta cecinerit *poëtam poëtae invidere* non melius demonstrari potest, quam ex exemplo Comicorum. Caeteri enim modestia quadam invidiam fere celant et plerumque non nisi occulte aemulos suos petunt, ita ut primo obtutu diceres, eos se invicem diligere ac colere. In Comicis autem luce clarius apparet quam invidiosa gens sint poëtae, ii enim nullo freno inhibiti et dicteriis suis omnes et omnia petentes, simulac invidia tacti sunt, non curiose eam celant, sed aemulis vitia omne genus obiiciunt, et non solum si quid reprehensione dignum in fabulis commiserunt, sed etiam vitae privatae sordes acerbe exagitant. Prae caeteris autem Aristophanes sibi invidiam contraxit comicorum aequalium, quorum non solum qui minorum gentium erant, ut Amipsias et Sannyrio, sed etiam celeberrimi illi Cratinus, Eupolis, Plato dente invido eum mordebant, quem sibi ingenio et elegantia multo praestare viderent. Lacessitus autem eorum conviciis Aristophanes, ne impune iniurias ferre viderentur, non minus acerba

dicta retorsit, quibus tum artem, tum vitam privatam aemulorum perstringit, unde percommode multa aliunde ignota de Comicis nobis innotuerunt. De his igitur et sicubi Aristophanes non lacessitus aliquid de comico tradidit, quod tuto de Magnete et Cratete statuere licet, iam videamus.

Initium faciam a Magnete, quippe qui caeteros aetate antecedat: semel memoratur Equit. vs. 520 sqq., ex quo loco discimus eum olim gratia apud auditores floruisse multasque victorias reportasse[1], sed senem explosum esse, *ὅτι τοῦ σκώπτειν ἀπελείφθη*. Neque quidquam ei profuit, quod auditores conatus sit delectare

καὶ ψάλλων καὶ πτερυγίζων
καὶ λυδίζων καὶ ψηνίζων καὶ βαπτόμενος βατραχείοις,

quibus respicit Aristophanes secundum Scholiastam ad eius fabulas Βαρβιτιστάς, Ὄρνιθας, Λυδούς, Ψῆνας et Βατράχους.

Eodem loco Equitum (526—537) Aristophanes tangit Cratinum, et Cratetem: ut enim ostendat Athenienses *ἐπετείους τὴν φύσιν* esse, narrat quid praeter Magnetem illis quoque poëtis acciderit et quantopere varium Atheniensium animum experti sint, in qua demonstratione facetissime laudibus, quibus illos viros effert, aculeos admiscuit. Cratinus igitur, ait poëta, antea florebat gratia et tanquam fluvius, qui quercus et platanos radicitus evulsas secum rapit, omnibus

---

[1]) Anonymus de Comoedia apud Didot. III. 25, ait eum XI victorias reportasse.

plaudentibus inimicos prosternebat [1]): neque in conviviis quidquam canebatur praeter eius carmina: nunc vero delirans senex factus, et quasi lectus cuius partes prae vetustate dilabuntur, auditorum misericordiam non movet, nec amplius praemiis ornatur, sed obambulat siti emoriens cum arida corona. Non tulit, ut notum est, Cratinus hoc convicium, sed anno sequente Πυτίνην qua fabula vinosus poëta ipse suam bibacitatem, quam Aristophanes ei vitio dederat, perstrinxit, summo omnium plausu docuit, Aristophanisque Nubibus praemium praeripuit, quod aegre ferens Aristophanes in Nubibus alteris, quas non docuit, vs. 524 queritur se a viris *φορτικοῖς* victum esse, quo convicio Cratinus et Amipsias, qui Κόννῳ secundum praemium reportaverat, petuntur. Bibacitatem eius, quam modo vidimus Aristophanem notasse, item ei exprobrat Pace 703 et, si vera est Scholiastae explicatio, Eq. 400:

εἴ σε μὴ μισῶ, γενοίμην ἐν Κρατίνου κῴδιον.

---

[1]) Schol. Rav. commode ad vs. 528:
ἐφόρει τὰς δρῦς καὶ τὰς πλατάνους καὶ τοὺς ἐχθροὺς προθέ-
(λύμνους.
adscripsit: *τοὺς ἐχθροὺς δὲ, τοὺς περὶ Καλλίαν αἰνίττεται.* Erat autem Callias iste aequalis Cimonis et avus illius Calliae, qui bona sua dilapidavit: magnas in republica administranda partes tenebat et ditissimus erat, unde cognomen *τοῦ λακκοπλούτου* accepit, de quo viro vide plura apud Bergkium p. 21 et Boeckhium Staath.[2] I. p. 630. Bergkius p. 114 credidit Scholiastam significare poëtam Calliam, motus ni fallor Scholio ad *ἐφόρει: κατέβαλλε τοὺς ἀνταγωνιζομένους πρὸς αὐτὸν ὑψηλοὺς ὄντας·* perperam opinor: sunt enim haec duo Scholia diversa, quorum hoc futilem auctorem, illud contra doctissimum habet.

(sic enim cum Dindorfio et aliis legendum), tum si bene coniicio, quamvis hoc incertum esse ultro fatear, Vesp. 78, ubi Xanthias ait:

ὀδὶ δέ φησι Σωσίας πρὸς Δερκύλον,
εἶναι φιλοπότην αὐτόν. ΣΩΣ. οὐδαμῶς γ', ἐπεὶ
αὕτη γε χρηστῶν ἐστὶν ἀνδρῶν ἡ νόσος.

Non tamen semper eodem infenso animo in aemulum fuit, sed post mortem eius, quam tangit Pac. 700 (de quo loco infra dicetur, ubi ad Platonem pervenerimus), quum omnis simultas diu subsedisset, magnificis laudibus eum celebravit in Ranis vs. 357, ubi iubentur lingua favere et choris loco cedere et alii et quicunque

***γενναίων ἔργια Μουσῶν μήτ' εἶδεν, μήτ' ἐχόρευσεν,*
μηδὲ Κρατίνου τοῦ Ταυροφάγου γλώττης βακχεῖ' ἐτελέσθη·

In quibus nomen *τοῦ Ταυροφάγου* ei dedit *παρῳδῶν* Sophoclem, qui sic Bacchum appellavit in Tyro (v. Schol.), ut significaret, quod fecerat iam in Equitibus l. l., eius acerbitatem et vehementiam in inimicos, in quos *ἁπλῶς καὶ κατὰ τὴν παροιμίαν γυμνῇ τῇ κεφαλῇ τίθησι τὰς βλασφημίας*, ut scribit Platonius II. vs. 5. De Pac. 741, ubi secundum nonnullos petitur, videbimus infra.

Tertius, qui l. l. Equitt. 537—541 dicitur inconstantiam popularis aurae expertus esse, est Crates; qui tamen

ἀντήρκει τοτὲ μὲν πίπτων, τοτὲ δ' οὐχί.

Poëta erat, qui, ut Aristophanes lepidissime ait, Athenienses

... ἀπὸ σμικρᾶς δαπάνης .... ἀριστίζων ἀπέπεμπεν
ἀπὸ κραμβοτάτου στόματος μάττων ἀστειοτάτας ἐπινοίας,

quibus significat, eum, quamvis non magnum et splendidum ingenium haberet et non admodum elaboraret fabulas, tamen proferre festivissimos iocos; cum quibus fere consentit Anon. III. de Comoedia vs. 35, eum dicens poëtam *γελοῖον καὶ ἱλαρόν*. Recte autem Aristophanes dixit eum populum *ἀπὸ σμικρᾶς δαπάνης ἀριστίζειν*, nam ioci eius interdum satis insulsi fuisse videntur, e quo genere est illud salsamentum elephantinum, quod Aristophanes merito in fragm. 313 exagitat tanquam *ἀπόνως παραβεβλημένον*. Locus ubi Crates praeclarum suum inventum venditavit exstat apud Athenaeum III. p. 117. b, ubi legimus:

Σκυτίνῃ ποτ' ἐν χύτρᾳ τάριχος ἐλεφάντινον
ἤψε ποντιὰς χελώνη πευκίνοισι κύμασιν, κτἑ.,

quae verba miror Meinekium, qui ipse hoc fragmentum obscurissimum aenigma appellat, pro facetissimis habere potuisse (I, 61, II, 245).

Quod idem coniecit (II. 240), Cratetis fragmentum quoddam de Lamia peti ab Aristophane in Vespis vs. 1177 et Eccles. vs. 77, incertissimum puto. Qui enim fieri possit, ut anno 392, quo Ecclesiazusae doctae sunt, apud populum Atheniensem memoria viguerit non ita nobilis fabulae, quae ad minimum 30 annis antea docta sit, nam ex Eq. 537 sq. patet, eum post hunc annum non amplius fabulas docuisse [1]). Praeterea ex ipso Vesparum loco satis apparet, ea quae de Lamia narrantur, non esse nisi fabellam, quae in hominum

[1]) Sic statuere malo, quam quod Meinekius statuit (I. 59), eum non amplius *vixisse* tempore, quo Equites docti sint, quod metuo, ut ex illo loco peti possit.

ore viveret. Incipit enim ibi Philocleo *λόγους σεμνοὺς λέγειν* in ficto illo convivio;

πρῶτον μὲν ὡς ἡ Λάμι' ἀλοῦσ' ἐπέρδετο,
ἔπειτα δ' ὡς ὁ Καρδοπίων τὴν μητέρα. . . .

quem sermonem sic interrumpit Bdelucleo:

μή μοί γε μύθους, ἀλλὰ τῶν ἀνθρωπίνων.

In Lys. 158 Pherecratis dictum, *κύνα δέρειν δεδαρμένην*, addito auctoris nomine memoratur, quod, ut ex scholio ad h. l. patet, non inveniebatur *ἐν τοῖς σωζομένοις Φερεκράτους*. Abiit postea in proverbium, de cuius significatione cf. Scholiastam ad h. l. et Erasmum in Adagiis p. 406 (Ed. Paris. 1572).

In Nubibus vs. 537 Aristophanes recenset eos, qui postquam semel Eupolis in Marica Hyperbolum et matrem exagitaverat, eandem incudem tutuderunt: inter quos primo loco nominat Hermippum, qui hoc secundum Schol. ad h. l. fecerat in *Ἀρτοπώλισιν*. Praeter hunc locum autem nusquam poëta eius mentionem facit: supersunt tamen duo loci, in quibus occulte eum perstringi annotant Scholiastae, de quibus deinceps videbimus. Prior locus legitur Nub. 536, ubi Aristophanes praedicat suam modestiam, qui non introduceret personas assutum habentes

σκύτινον καθειμένον,
ἐρυθρὸν ἐξ ἄκρου, παχύ, τοῖς παιδίοις ἵν' ᾖ γέλως.

ubi Scholiasta Brunckianus annotat *τοῦτό φησι διὰ τὸν Ἑρμιππον καὶ τὸν Σιμέρμωνα τὸν τούτου ὑποκριτήν*, cui quo minus multum tribuamus prohibet exigua horum scholiorum auctoritas: accedit quod hoc scholium per errorem ad hunc versum adscriptum videtur, et potius pertineret ad ea quae in vicinia leguntur (vs. 542),

de quibus nunc dicendum est. Gloriatur eo loco Aristophanes in suis fabulis non prodire senem, qui baculo

τύπτει τὸν παρόντ' ἀφανίζων πονηρὰ σκώμματα,

quibus verbis secundum Schol. Aldinum tangitur vel Eupolis, qui tale quid fecisset in fabula Προσπαλτίοις, vel Hermippus, vel denique Σισέρμιος histrio; dum Schol. Ravennas et Ven. annotant: τοῦτο εἰς Ἕρμωνα λέγει τὸν ὑποκριτήν [1]). Quid autem horum verum sit haud facile dicas: sed donec certiora afferantur, a partibus Schol. Rav. et Ven. stare malo, quam temerarii et incuriosi Musuri, qui scholia sua undecunque conglutinavit et temere interpolavit, ut vel ea, quae ad hunc locum annotavit, demonstrant. Nam Eupolidem h. l. tangi, quod ille contendit, verisimile non est, quum in ipsis Prospaltiis tales frigidos iocos exploserit, teste fragmento II, quod Meinekius sic edidit II. 521:

τὸ δεῖν' ἀκούεις; Ἡράκλεις, τοῦτ' ἔστι σοι
τὸ σκῶμμ' ἀσελγὲς καὶ Μεγαρικὸν καὶ σφόδρα
ψυχρόν. γελῶσιν, ὡς ὁρᾷς, τὰ παιδία.

quae nondum persanata videntur.

Cum nullo Comico Aristophanes graviores inimicitias exercuit, quam cum Eupolide, quamvis initio eius familiaritate usus videtur fuisse, nam constat Eupolin

[1]) Scholiasta Brunckianus, si vera est mea suspicio, quam modo protuli, haec refert ad Hermippum eiusque actorem Simermonem, Schol. Cantabrigiensis 3. denique ad Simermonem nescio quem comicum ἔν τινι αὐτοῦ δράματι!, in quibus nomen Simermo, non minus quam Sisermius ille Scholiorum Aldinorum corruptum esse videtur ex verbis Schol. Rav. et Ven. ϵΙCΕΡΜΩΝΑ.

cum iuvenem adiuvisse, cum aggredi pararet Cleonem in Equitibus, et partem parabaseos confecisse a versu 1288 usque ad finem (cf. Schol. Eq. 1291). Mox autem invidia videtur tactus esse propter in dies crescentem amici gloriam et eo cavillando dolorem significasse, unde inimicitiae inter summos viros intercesserunt. Quippe duobus annis post Equites doctos, in Vespis 1023 sqq. Aristophanes veterem amicum vehementissime perstrinxit, quod palaestras soleret frequentare, ut iuvenes corrumperet, neque dubitaret Musis pro lenis uti, cum amatoribus minaretur, se eorum amasios traducturum esse in suis fabulis, nisi sibi eorum copiam facerent; quas sordes iterum ei in Pace obiecit vs. 762 (Cf. Cobetum Plat. Com. p. 83 sq.). Quod autem Scholiasta ad locum Vesparum annotavit, Aristophanem in his Autolycum respicere, qua fabula Eupolis exagitavit delicias Calliae, iam Meinekius Q. Scen. I. 41 et post eum Bergkius Comment. p. 342, falsum esse demonstrarunt; quod Autolycus duobus demum annis post Vespas doctus sit. Hoc tamen lucramur ista Scholiastae observatione, quod causam suspicari liceat, propter quam Eupolis Autolycum innocentissimum puerum (vid. Cobetum Prosopogr. Xen. p. 54) integra fabula traduxerit, nam mihi saltem non a vero alienum videtur ratione habita loci Aristophanei, Eupolin exasperatum, quod Callias ipsi sui amasii copiam facere nollet, puerum nihil tale meritum in scena perscidisse, quamvis non negem, simul libidinosum et ineptum Calliam peti. — Plagium Aristophanes ei obiicit in Nubibus vs. 553, ubi dicit eum in Marica, quam fabulam in Hyperbolum eius-

que matrem scripsit, suos imitatum esse Equites, addita tantum anu cordacem saltante, quam e Phrynicho sumsisset. Cum quo loco percommode Fritzchius Quaest. Arist. p. 144 et Bergkius Fragm. Arist. p. 964 composuerunt fragm. XVIII Anagyri:

ἐκ δὲ τῆς ἐμῆς χλανίδος τρεῖς ἀπληγίδας ποιῶν,

quae non sine veri specie in Eupolidem dicta esse suspicantur.

Loci, quos huc usque tractavimus, praeter ultimum, sine ullo dubio ad Eupolin referendi sunt, sed restant alii, in quibus ex levibus tantum Scholiorum indiciis aculei contra Eupolidem contineri creduntur, de quibus idem non tam tuto statui posse videtur, ut nunc ostendere conabor. Iam supra conati sumus demonstrare perperam ad eum referri Nub. 542, quae h. l. repetere non opus est. Alter locus legitur in Pac. vs. 741, ubi Aristophanes gloriatur se primum Hercules illos depsentes et esurientes, et servos vapulantes e scena abegisse; ad quae unus Scholiastarum annotat: αἰνίττεται δὲ ταῦτα εἰς Εὔπολιν (sic enim emendavit Dobraeus Codicum lectionem Εὐριπίδην), ὃς ἐποίησεν Ἡρακλέα πεινῶντα καὶ Διόνυσον δειλὸν καὶ Δία μοιχὸν καὶ δοῦλον κλαίοντα, τινὲς δέ φασιν εἰς Κρατῖνον αἰνίττεσθαι, ὡς τοιαῦτα ποιοῦντα δράματα. At quisque videt interpretes illos, qui significarunt Cratinum vel Eupolin h. l. tangi, non nisi hariolari et coniecturam proposuisse, quae neque διδασκαλίαις neque alio certo argumento niteretur. Melius de h. l. videtur sensisse alius Scholiasta, qui annotavit: ἐπεπόλαζε γὰρ τότε ταῦτα, Ἡρακλῆς πεινῶν καὶ Διόνυσος δειλὸς καὶ μοιχὸς Ζεύς, ὥστε καὶ αὐτοὺς δοκεῖν ἄχθεσθαι, quam sententiam firmat auctoritate Cratini:

Κρατῖνος: ὑπὸ δ' Ἡρακλέους πεινῶντος ἄγει καὶ σκώπτοντες ταῦτα οὐ βιωτόν (sic Ven.; Rav. βοιωτόν: Pors. συοβοιωτῶν pro οὐ βοιωτόν) ἐστιν. E quo fragmento, quamvis nemo dum, ne Porsonus quidem, emendare potuerit, hoc saltem intelligimus eum Hercules illos iocantes non minus abominari quam Aristophanem. Tuto igitur statui potest h. l. non certum quemdam comicum tangi, sed Aristophanem in universum loqui de iis, quae in Comoedia correxisset. Ac Eupolis minime omnium argui poterat tale quid in Comoediis commisisse, erat enim, ut Platonius II. vs. 11 scribit εὐφάνταστος εἰς ὑπερβολὴν κατὰ τὰς ὑποθέσεις, i. e. ut Meinekius recte explicat I. 107, ingeniosissimus in argumentorum inventione et tractatione [1]).

Meliore iure fortasse ad Eupolin refertur, quod Aristophanes Pace vs. 740 ait se effecisse, ut Comici desinerent irridere pannos mendicorum, i. e. homines sordido genere natos, et cum pediculis bellum gerere, ubi Scholiasta annotat, ὡς τοιαῦτα εἰσαγόντων τῶν ἄλλων κωμικῶν, αἰνίττεται δὲ εἰς Εὔπολιν. Unus iam restat locus, qui legitur Nub. 540: praedicat ibi Aristophanes suae Musae laudes, quod non irrideat calvos, quibus verbis videtur aliquem notare, qui ipsius calvitiem irrisisset. Scholiasta Brunckianus confidenter ad haec adscripsit τοῦτο διὰ τὸν Εὔπολιν, quae si in Codice

[1]) Iniuria quis obiiciat huic loco Anon. III. 45, ubi de Eupolide legitur: γεγονὼς δυνατὸς τῇ λέξει καὶ ζηλῶν Κρατῖνον πολύ γε λοίδορον καὶ σκαιὸν ἐπιφαίνει, dudum enim Clar. Geel in Bibl. Crit. Nov. IV. p. 13. recte emendavit αἰσχρόν. Sed ne sic quidem locus perpurgatus est, qui mea sententia recte sese habebit, si substituerimus τό pro γέ.

Rav. sive Veneto legerentur, non dubitarem pro veris habere. Nunc vero fidem non habeo, quum haec legantur in Scholiis Parisinis, quorum parva vel potius nulla est auctoritas, et praeterea sine negotio fons indicari possit, unde Scholiasta illam suam annotationem hauserit. Legerat scil. fragm. Eupolidis e Βάπταις in Schol. ad Equit. 1291, vel ad Nub. 554.

κἀκείνους τοὺς ἱππέας
συνεποίησα τῷ Φαλακρῷ τούτῳ κἀδωρησάμην·

et hinc suo Marte coniecit loco illo Nubium notari Eupolin; Βάπται autem doctae sunt post Nubes alteras, ut demonstravit Cobetus Pl. Comic. p. 84, 145 sqq., et igitur ex huius saltem fabulae loco statui nequit Eupolin loco illo Nubium petitum esse. At fieri potuit, ut Eupolis in alia quoque Comoedia calvitiem Aristophanis ludibrio habuerit; non intercedo, sed futilis scholiastae auctoritate pro certo affirmare non ausim [1]).

Laetus ex his sordibus Scholiastarum pedem proripio ut transeam ad Phrynichum. Primum memoratur

[1]) Omisimus futile Scholion e Cod. Paris. E. ad Nub. 296: *οὐ μὴ σκώψῃς μηδὲ ποιήσῃς ἅπερ οἱ τρυγοδαίμονες οὗτοι· οἱ τρυγοδαίμονες: οἱ ἄλλοι κωμικοί: οὗτοι γὰρ ἐν τοῖς ποιήμασιν αὐτῶν ἀνθρώπους εἰσῆγον χέζοντάς τε καὶ ἕτερα αἰσχρὰ ποιοῦντας· λέγει δὲ δι' Εὔπολιν καὶ Κρατῖνον καὶ τοὺς ἄλλους, τρυγοδαίμονας δὲ τούτους καλεῖ, διότι πάντες οἱ κωμῳδοὶ τρυγὶ ἀνηλείφοντο.* quibus nollem acutissimum Meinekium pro sinceris antiquorum Grammaticorum reliquiis usum esse I. p. 110. Qui enim hoc scholion confecit, hausit sua ex ipso Aristophane, cui h. l. interprete non opus est, et nomina addidit ex coniectura.

Nub. 556, ubi Eupolis in Marica dicitur introduxisse anum temulentam, cordacem saltantem, quam

Φρύνιχος πάλαι πεποίηχ', ἣν τὸ κῆτος ἤσθιεν,

cuius versus ultima verba aliis expedienda relinquo, non enim placent, quae viri docti commenti sunt de hoc loco apud Meinekium II. 607. Minus obscurus est alter locus, ubi eius mentio fit. Initio nimirum Ranarum facete exagitatur, quod antiquo more in suis fabulis introducere solebat servos baiulantes, qui querentes de gravi onere insulsa et spurca dicta proferebant, quibus infima plebs magnopere delectabatur, sed Aristophanes merito offendebatur.

Idem obiicit eodem loco Lycidi comico obscurissimo, cuius opera iam olim perierunt (v. Schol. ad Ran. vs. 14), et Amipsiae, qui praeter h. l. adhuc Nub. 524 exagitatur: ubi queritur Aristophanes, non sibi praemium esse datum, quum Nubes priores doceret, sed *ἀνδράσι Φορτικοῖς*, i. e. Cratino et praesertim Amipsiae, cuius Κόννος secundas tulerant.

Perveni iam ad Platonem, de quo quam brevissime potero excerpam quae Cobetus scripsit in Obs. Crit. in Platon.: is enim primus ingeniosissime indagavit aliquot locos in Aristophane, in quibus luculentissime demonstravit Platonem peti. Initium faciam in Vesp. 60, ubi Xanthias argumentum fabulae expositurus primum aequales Comicos rodit:

ἡμῖν γὰρ οὐκ ἔστ' οὔτε κάρυ' ἐκ Φορμίδος
δούλω διαρριπτοῦντε τοῖς θεωμένοις,
οὔθ' Ἡρακλῆς τὸ δεῖπνον ἐξαπατώμενος.

Ultimo versu Cobetus p. 95 coniecit notari argumentum fabulae Platonis, quae inscribatur Ζεὺς κα-

κούμενος, in quo, ut vir Clar. recte perspexit, Plato deum famelicum introduxit coena avide exspectata per fallacias fraudatum. Alter locus legitur Pac. 700, ubi interroganti Mercurio:

τί δαί; Κρατῖνος ὁ σοφὸς ἔστιν;

Trygaeus respondet, eum diem obiisse supremum, ὅθ' οἱ Λάκωνες ἐνέβαλον, prae dolore quod dolium vini effringi et vinum diffluere vidisset: in quibus invasio ista Lacedaemoniorum magnopere viros doctos torsit, cum de ea altum silentium sit in historia illius temporis: alius igitur alia excogitavit, quae non erant unius assis, donec tandem Cobetus supervenit et l. l. p. 88. luculenter ostendit per Lacones non hostes Atheniensium, sed fabulam Platonis intelligendam esse, in qua Plato convivium et dolium a bene potis convivis effractum exhibuisset. Ultimus denique locus, ubi verisimiliter Cobetus suspicatur Platonem tangi, exstat in Nubium parabasi vs. 558. Explodit Aristophanes eo loco omnes aemulos, qui sterili ingenio eadem semper argumenta ad fastidium usque decantarent, exemplo usus Hyperboli, quem ut semel Eupolis perstringere aggressus est, statim secutus est Hermippus; denique

ἄλλοι τ' ἤδη πάντες ἐρείδουσιν εἰς Ὑπέρβολον,

quibus verbis ex Cobeti sententia indicat Platonis Hyperbolum: vid. p. 145 sq. Sed haec sufficiunt; argumenta, quibus vir clar. suas coniecturas superstruxit, benevolus lector videat apud ipsum.

Incertissimum est an Archippi frigidi ioci tangantur Vesp. 481:

οὐδὲ μὴν γ' οὐδ' ἐν σελίνῳ σοὐστὶν οὐδ' ἐν πηγάνῳ

τοῦτο γὰρ παρεμβαλοῦμεν τῶν τριχοινίκων ἐπῶν,

ubi Schol. annotat: τὰ τοιαῦτα παρὰ τὰς φωνὰς παίζει, φορτικοῦ ὄντος ἀγοραίοις, ἐφ' οἷς μάλιστα τῶν ποιητῶν σκώπτουσιν Ἀρχίππον.

Finem facio in Sannyrione, qui in Gerytade propter macilentiam ridetur. Praeter h. l. nusquam tangitur, nam nimis incertum est an ad eum referendum sit Nub. 538:

ὡς δὲ σώφρων ἐστὶ φύσει σκέψασθ'· ἥτις πρῶτα μὲν
οὐδὲν ἦλθε ῥαψαμένη σκύτινον καθειμένον
ἐρυθρὸν ἐξ ἄκρου, παχύ, τοῖς παιδίοις ἵν' ᾖ γέλως.

Hic enim Sannyrionem rideri credit Bergk. p. 271, quod Strattis in ψυχασταῖς apud Athen. XI. p. 551 C. eodem nomine eum perstrinxerit, his usus verbis:

Σαννυρίωνος σκυτίνην ἐπικουρίαν.

Sed viri doctiss. argumentum, iam per se non satis validum, magis etiam debilitatur eo, quod Strattidis locus non de obscaeno spectaculo, qnod Sannyrio exhibuisset, sed de macilentia eius sit interpretandus, ut Athenaeus ipse docet, cum quo omnino cf. Meinekii annotatio II. p. 785.

CAPUT TERTIUM.

DE RELIQUIS POËTIS.

Absolvimus de Tragicis et Comicis et sic pervenimus ad caput tertium, in quod omnes reliquos poëtas cuiuscunque generis coniecimus, quibuscum coniungemus eos qui musicae operam dederunt; quod consilium nemo culpabit, qui secum reputaverit, quam arcte musica apud veteres cum poësi coniuncta sit. Enixe autem lectorem benevolum rogatum volo, ut mihi ignoscat, quod in hoc capite minus etiam quam in superioribus efficere potuerim, ut facilis ac venustus transitus ab alio ad alium fieret: ut enim in tanta farragine aliquid proferrem, quod cum voluptate legi posset, Groenii elegantia mihi opus fuisset, quam viro doctissimo paene dixerim invideo.

Transeo iam ad ipsum argumentum et retinens ordinem, quo Aristophanes ipse quatuor primos poëtas recensuit Ran. 1032, initium faciam ab Orpheo. Is autem cum tribus, qui sequuntur, *τοῖς γενναίοις* poëtis accensetur, qui utilissimam operam navassent hominum moribus erudiendis et emolliendis, eorumque miseriis levandis: atque Orpheus quidem, ut hoc efficeret, homines docuit

mysteria et abstinere a caede, Musaeus remedia morborum et oracula, Hesiodus agriculturam. Homerus denique gloriam adeptus est, quod homines rem bellicam et fortitudinem docuerit; in quibus tamen non praetervidendum est, haec dici e persona Aeschyli, nam subdubito an Aristophanes rem bellicam inter res utiles habuerit, ut Aeschylus eo loco fecit (R. 1035). Sin autem minus propter hanc causam, tamen propter reliquas Homeri virtutes dubium esse nequit, quin Aristophanes cum plerisque aequalibus magnifice de eo senserit, quod praeterea, si in re manifesta testibus opus est, testantur loci, ubi eum divinum et *σοφόν* appellat (Ran. 1034, Pac. 1096) [1]). Aegre igitur ferre debuit, quod, nova disciplina ingruente in civitatem, Homerus sordere eiusque carminum studium negligi coeperit, ut iuventus ne *Ὁμήρου γλώσσας* quidem, quas olim omnes pueri ediscerent, teneret, sed contra probe sciret, quid singula vocabula antiqua et obsoleta significarent in Solonis legibus, quia horum in foro maior usus esset: cf. fragm. notissimum e Daetalensibus, apud Dind. 1.

Adiungo his Olympum, antiquissimum illum tibicinem et modorum potissimum flebilium et lugubrium auctorem, de cuius aetate non magis constat, quam de quatuor quos modo recensui virorum. Memoratur Eq. 9, ubi Demosthenes et Nicias, deplorantes suam conditionem, dolorem exprimunt

ξυναυλίαν κλαίοντες Οὐλύμπου νόμον,

---

[1]) Bis eius auctoritate utitur in rebus ludicris et saepius cum *παρῳδεῖ*, cuius rei exemplum habeto Av. 685 sqq.

quo loco ξυνκυλία accipiendum est de duarum tibiarum concentu, ut iam fecit Hesychius, non, ut alter Scholiasta voluit, de concentu citharae cum tibia: quod evincitur illo μὺ μῦ, quo tibiae non citharae sonus exprimitur.

Non minus incertae aetatis est Aesopus, quo vix alius praeter Homerum popularior in Graecia exstitit. Tanto enim in honore eius fabulae erant, ut Pisthetaerus Avibus ἀμαθίαν exprobret, quod ne Aesopum quidem triverint (Av. 471). Omnes enim, qui non plane rudes essent, eas cognoverant et Athenis credo nemo erat, quin in verbis mulierum ad senes (Lys. 695):

, ἀετὸν τίκτοντα κάνθαρός σε μαιεύσομαι,

statim agnosceret fabulam canthari et aquilae, quae ἐν τοῖσιν Αἰσώπου λόγοις erat (Pac. 129), et quam Aesopus Delphensibus narravit, quum eum falso accusarent phialae deo surreptae (Vesp. 1446 c. Schol.). Praeter hanc fabulam apud Aristophanem memorantur tanquam Aesopicae illa de alauda, quae patrem in capite suo defodit (Av. 472), et illa de vulpe, ὡς

Φλαύρως ἐκοινώνησεν ἀετῷ ποτε

(Av. 651), quarum haec proprie Archilochum non Aesopum auctorem habere dicitur a docto Scholiasta, qui annotavit: ὅτι σαφῶς ἀνετίθεσαν Αἰσώπῳ τοὺς λόγους καὶ τοῦτον τὸν παρὰ τῷ Ἀρχιλόχῳ λεγόμενον, καίτοι πρεσβυτέρῳ ὄντι, cui loco vellem doctiss. Groen in Prosop. Plat. p. 13 sq. plus tribuisset: caeterum ex ipso fabulae Archilochiae initio, quod exstat apud Ammonium s. v. αἶνος:

αἴνός τις ἀνθρώπων ὅδε,

clare patet, eam ne Archilocho quidem tribuendam esse, sed eius tempore iam in omnium ore fuisse [1]). Apud Graecos autem Aesopi non solum proprie sic dicti apologi ferebantur, sed etiam quaedam commode dicta, quorum unum Aristophanes affert Vesp. 1393, ubi legitur, quid ad canem se allatrantem dixisse feratur: cuius generis quaedam in Phaedriana quoque fabularum collectione reperiuntur, ubi vide Libr. III. fab. 18, quod de Diogene Cynico quoque narratur, tum III. 5, et IV. 3.

Antequam ad Melicos poëtas transeo, praemittam quaedam de Clitagora, incertae aetatis muliere, quae valde dubito an, ut vulgo ferunt, pro poëtria habenda sit. Nomen eius occurrit in cantilena convivali, cuius mentio fit Lys. 1237, cuiusque particula, cui alia ludendi causa Aristophanes admiscuit, exstat Vesp. 1245. Nihil certi de ea constabat, nam quod Scholiasta Vesparum eam dicit Thessalam, et Schol. Lysistratae Laconicam, nihil nisi coniecturae sunt ex ipso Aristophane factae, ut bene observavit Bergkius p. 228: quin etiam tam nihil de ea compertum habebant veteres, ut Apollonius ὁ Χαλκιδος eam pro viro haberet (Schol. ad Vesp. 1239), quem tamen Ammonius refutavit. Suspicor igitur nihil nisi eius nomen veteres cognosse, et id quoque, quod eam poëtriam esse

---

[1]) Non retuli inter Aesopicas fabulas, quod legitur Av. 440 de διαθήκῃ,

ἥνπερ ὁ πίθηκος τῇ γυναικὶ διέθετο,

quod tractum est ἐκ διηγηματίου τινός, ut recte iam Callistratus et Didymus monuerunt (v. Schol.).

ambo Scholiastae sine dissensu tradunt, non minus e coniectura fluxisse, quam id quod de eius patria narrarunt. Coniecturae ansam dedit ni fallor locutio Κλειταγόρας ᾄδειν, unde qui concludit Clitagoram poëtriam fuisse, aeque ridiculus est, ac is, qui ex locutione Τελαμῶνος ᾄδειν conficere velit Telamonem fuisse poëtam. Confirmat insuper meam opinionem ipsa cantilena: χρήματα καὶ βίαν (Bergk. Poët. Lyr. p. 877 βίον) Κλειταγόρᾳ τε κἀμοί: quomodo de se ipsam locutam esse Clitagoram non facile adducar ut credam.

Primum locum inter Melicos poëtas iure sibi postulant Alcaeus, Ibycus et Anacreon, qui coniunctim memorantur Thesm. 161: Agathon scilicet in disputatione sua, qua demonstrare conatur habitum poëtarum similem esse oportere carminum quae pangant generi, inter alia exemplum adducit quos modo memoravi poëtarum; quod hi, qui

ἐμιτροφόρουν τε καὶ διεκλῶντ' Ἰωνικῶς,

i. e. qui molles effeminatique erant, τὴν ἁρμονίαν ἐχύμισαν.

In quibus non erat, cur Fritzchius offenderetur Toupii coniectura διεκλῶντ' pro διεκίνουν et in eius locum omissa copula τέ suam coniecturam διεχλίδων substitueret, quamvis ei assentior Toupium male vertisse per *corpus Ionum instar molliter movebant, molliter saltabant.* Ex glossa enim Hesychiana διακλῶν· θρύπτων, sequitur διακλᾶσθαι idem esse quod θρύπτεσθαι i. e. mollitie diffluere: cum quo loco omnino confer verba Luciani in Demonacte § 18: θηλυδρίας καὶ διακεκλασμένος, quae nostram interpretationem eximie confirmant.

Sequitur Hipponax, cui Aristophanes addito nomine tribuit versum, qui legitur Ran. 659:

Ἄπολλον, ὅς που Δῆλον ἢ Πυθῶν' ἔχεις.

Obloquitur autem comico doctus Scholiasta, qui hunc versum Ananio tribuit: cuius testimonium minime negligendum arbitror, quum hanc quaestionem accurate investigasse videatur, ut patet ex eo, quod duos sequentes versus attulit. Utri tamen litem adiudicem, dubius haereo, quum non solum de hoc versu, sed de aliis quoque dubitatur, sintne Ananii an Hipponactis (vid. v. c. Hipponactis fragm. 32: et Ananii fr. 1 apud Bergk. poët. Lyr.): malo igitur ampliari.

Propius ad Aristophanis tempora accedit Simonides Ceius, nobilissimus poëta, sed qui non minus quam Aeschylus vim mutatae disciplinae sensit. Veteres enim Athenienses eius carmina, quorum prae caeteris epinicium, cuius initium erat:

ἐπέξαθ' ὁ Κριὸς οὐκ ἀεικέως,

celebratum fuisse videtur, deamabant canebantque in conviviis; apud adolescentes vero Aristophanis tempore eius carmina prae Euripideis sordebant et ipse audiebat malus poëta, de qua re senex Strepsiades cum indignatione queritur Nub. 1355, ubi cf. Schol. Quam celebrata autem eius carmina fuerant, tam infamis erat eius avaritia, quod ignobile vitium quadraginta adhuc annis post eius mortem Aristophanes tangit Pac. 697, cum quo loco omnino Scholiastae annotatio conferenda est. Aemulus eius fuerat Lasus Hermionensis, ut est in fabella, quam Philocleo narrat pistrici Vesp. 1410:

Λᾶσός ποτ' ἀντεδίδαξε καὶ Σιμωνίδης·

ἔπειθ' ὁ Λᾶσος εἶπεν, ὀλίγον μοι μέλει.

quae proverbialis dictio plebeiorum hominum videtur fuisse pro simpliciore οὐδέν μοι μέλει, quamvis historicam veritatem subesse non est quod dubitemus.[1]

Si minus aequalis Aristophanis saltem eius tempora vidit Ion, paulo enim ante Pacem doctam (an. 421) diem supremum obiisse videtur; in hac nempe fabula vs. 835 memoratur carmen, quod ἐποίησεν πάλαι Athenis, dictum Ἀοῖον ab exordio Ἀοῖον ἀμεροφοίταν ἀστέρα (sic enim cum Bentleio legendum pro ἀεροφοίταν), unde eum post mortem in stellam mutatum nomen τοῦ Ἀοίου ἀστέρος accepisse Aristophanes iocatur.

Quum supra de Euripidis numeris nimis liberis ac solutis agebamus, vidimus una cum disciplina etiam musicam labem contraxisse. Corruptelae autem auctor exstitit Melanippides, ut nobis tradidit Pherecrates in nobilissimo de Musica loco e Chirone apud Plut. de Mus. p. 1146 (Meinek. II. 326 sqq.), quem deinde alii secuti sunt, quorum Phrynen et Cinesian Aristophanes quoque ad partes vocavit. Et Phrynes quidem, citharoedus Mytilenaeus perstringitur Nub. 971 propter *difficiles* modulationes et flexiones (καμπὰς δυσκολοκάμπτους), quibus dicitur τὰς Μούσας ἀφανίζειν. Cum Aristophane facit Pherecrates apud quem l. l. ipsa musica, querens se a musicis pessumdatam esse, de Phryne ait:

[1]) Incertae aetatis est ΚΗΚΕΙΔΗΣ quidam, qui auctore Schol. ad Nub. 985 fuerat διθυράμβων ποιητὴς πάνυ ἀρχαῖος, unde l. l. Aristophanes ἀνάμεστα Κηκείδου dixit de rebus vetustissimis et obsoletis.

κάμπτων με καὶ στρέφων ὅλην διέφθορεν.

Alter, qui apud Pherecratem musicam corrupisse dicitur, est Cinesias, ὁ κατάρατος Ἀττικός, ut vere eum Musica l. l. appellat; de quo priusquam dicam praemittam iudicium, quod Aristophanes de universis dithyrambicis sui temporis tulit. Classicus locus de hoc argumento est in Avibus 903—957, ubi famelicus et male vestitus poëta intervenit sacrificio, quod Pisthetaerus pro recens condita urbe facit. Carminibus suis, quibus se iam dudum Nubicuculiam, cui vix nomen inditum erat, celebrasse mentitur, molestias exhibet Pisthetaero, donec hic, ut homine importuno liberetur, tunicam et σπολάδα ei dono dat. Ex hoc loci conspectu abunde patet Aristophanem h. l. perstringere voluisse aequalium poëtarum impudentiam, qui non divino spiritu afflati, sed quaestus causa Musas colerent. Alio quoque loco (Nub. 333) cum contemtu eos appellat

κυκλίων . . . χορῶν ἁσματοκάμπτας, ἄνδρας μετεωρο-
(φένακας,

qui otio diffluentes nihil agunt, nisi tumidis et magnificis verbis res vanas et inanes celebrare. Ex nubibus adeo eorum ars tota pendet:

τῶν διθυράμβων γὰρ τὰ λαμπρὰ γίγνεται
ἀέρια καὶ σκοτεινὰ καὶ κυανανγέα
καὶ πτεροδόνητα.

(Av. 1387 cf. Pac. 830). Quibus versibus inanibus, frigidis et obscuris ut aliquam saltem dignitatem conciliarent, continuo dorica dialecto utebantur, quod Aristophanes irridet Av. 928: ubi esuriens poëta supplex stipitem rogat his verbis:

δὸς ἐμὶν ὅτι περ
τεᾷ κεφαλᾷ θέλεις
πρόφρων δόμεν ἐμὶν τεῖν.

cf. Nub. 335 sqq.

Ex horum igitur numero erat Cinesias, dis hominibusque invisus κυκλιοδιδάσκαλος, cuius mores et poësin non solum Comici, sed Lysias quoque et Plato acerbissime exagitarunt. Et carmina quidem, quae lepide imitatur Aristophanes in Av. 1372 sqq., omnibus iis vitiis laborabant, quae modo memoravimus; nec minus summo Comico eius saltationes displicebant, quicunque enim eius pyrrichen didicit, dignus iudicatur, qui coniiciatur in eum locum inferorum, ubi est βόρβορος πολὺς καὶ σκῶρ ἀείνων (R. 153). Sed nihil interat abiecti hominis, utrum probatis iudicibus placeret necne, teste enim Platone in Gorgia p. 501 id unum spectabat in arte sua, quomodo gratificaretur plebi infimae, unde intelligitur, cur Av. 1403 dicere potuerit, tribus ipsum certatim sibi chori magistrum expetere. Mores hominis spurcissimi erant, qui quidem concacaverit τὰ Ἑκαταῖα κυκλίοισι χοροῖσιν ὑπᾴδων, quam impietatem Aristophanes bis explodit (Ran. 366 et Eccles. 330, cf. Lysiam apud Athen. p. 551). Sed ne corpus quidem continuis morbis conflictans, de quo cf. Lysiam apud Athen. l. l., dicteria comicorum effugere potuit, cuius macilentiam tum alii Comici, ut v. c. Plato in fr. inc. II. et Strattis in fabula Cinesia, tum Aristophanes quoque in Gerytade irriserunt, ubi memoratur inter macie confectos legatos, quos poëtae ad inferos mittunt. Si minus ad macilentiam, certe ad malum corporis habitum illud quoque referendum videtur, quod Av. 1377 eum tiliaceum (φιλύρινον) dicit, quamvis in voce explicanda varient interpretes[1]). Minus recte huc a Didymo et Euphronione referebantur verba Pisthetaeri ad Cinesiam Av. 1379:

τί δεῦρο πόδα σὺ κυλλὸν ἀνὰ κύκλον κυκλεῖς;

in quibus non alludi ad pedum vitium Cinesiae, de quo nemodum inaudivit, contra illos Grammaticos recte Scholiasta monet: nihil enim aliud Aristophanes his verborum ambagibus in re simplicissima spectat, nisi ut notet ineptum et obscurum Cinesiae dicendi genus.

Notissimum est Cinesiam Comicorum irrisionem non aequo animo tulisse, sed eos sic ultum esse, ut non multo post Ranas doctas τὰς χορηγίας περιεῖλε, teste Aristotele apud Schol. Ran. 404 (cf. Cob. Pl. Com. p. 49), unde Strattis in fabula, quam integram in eum scripsit, eum appellat χοροκτόνον.

Post accuratam Meinekii disputationem non est quod demonstrem Cinesiam, qui in Lysistrata tanquam libidinosus exagitatur, diversum esse a Dithyrambico poëta; de qua re vide virum doctissimum disserentem I. 229, quo loco simul explosit commentum Schol. Aldini, qui Cinesiam occulte tangi putat Nub. 332.

Cinesiae adiungimus Philoxenum, dithyramborum poëtam celeberrimum, qui floruit post annum 400,

---

[1]) Euphronius explicat per κοῦφον, Callistratus per χλωρόν (v. Schol. Av.). Athenaeus denique hoc cognomen ei inditum esse ait, διὰ τὸ φιλύρας τοῦ ξύλου λαμβάνοντα σανίδα συμπεριζώννυσθαι, ἵνα μὴ κάμπτηται διά τε τὸ μῆκος καὶ τὴν ἰσχνότητα.

et adeo in posterioribus demum fabulis Aristophanis tangitur. In multis novator circa Musicam fuisse traditur et ab Aristophane quoque hoc nomine perstringitur, quod *μέλη εἰσηνέγκατο εἰς τοὺς κυκλίους χορούς*, teste Plutarcho de Music. p. 1142. a., ubi verba *ἡ δὲ Μοῦσα* usque ad *κατεμέστωσε* pertinere ad Pherecratis fragmentum e Chirone Brunckius et post eum Bergkius acute perspexerunt: v. Mein. II. 334. Poëmata eius Athenis celebratissima fuisse, vel parodiae demonstrant, quas Aristophanes dedit eius Cyclopis et *Δείπνου*, quarum illa legitur Plut. 290 sqq., ubi vocabulum *βρεττανελό*, quo Philoxenus imitabatur citharae sonum, exagitat. *Δεῖπνον* autem tangitur in fine Ecclesiazusarum in monstro illo vocabuli, quo notari verba illa *πολυσύνθετα*, quibus Philoxeni carmen abundat, ingeniose repperit Bergkius p. 212.

Fere omiseram hominem ceteroquin ignotum Cratinum, qui fuit *μελῶν ποιητής*, si fides habenda est Scholiastae ad Ach. 848. Propter mollitiem et improbitatem ab Aristophane appellatur *ὁ περιπόνηρος Ἀρτέμων*, quae verba continent parodiam Anacreontis, qui Artemonem, hominem mollem, dixerat *τὸν περιφόρητον Ἀρτέμωνα*, quod, cum antea pauper fuisset, postea *σατινέων ἐπέβαινε* (v. Bergk. Poët. Lyr. fr. 20). Mollis homo semper erat *μοιχὸν κεκαρμένος*, qui tondendi modus, ut ex nomine patet, parum honestus et fere delicatorum erat: eidem tamen, quod mireris, *hirsutus cubabat hircus in alis*, unde comice patre *Τραγασαίῳ* [1]) ortus esse dicitur. In Musica videtur

[1]) Tragasae est urbs Troadis propre Hamaxitum.

Phrynis vestigiis institisse et novum Musices genus excoluisse, quandoquidem dicitur

ὁ ταχὺς ἄγαν τὴν μουσικήν.

Inter citharoedos, de quibus iam agendum erit, caeteros aetate anteit Connas [1]), qui ex Platone notissimus est. Memoratur loco iam saepe laudato Eq. 536, ubi Aristophanes Cratinum, qui senex omni honore exciderat, cum eo comparat his verbis:

ἀλλὰ γέρων ὢν περιέρρει
ὥσπερ Κοννᾶς, στέφανον μὲν ἔχων αὖον, δίψῃ δ' ἀπο-
(λωλώς·

quibus verbis respicit proverbium:

Δελφὸς ἀνὴρ στέφανον μὲν ἔχων, δίψῃ δ' ἀπολωλώς.

Scholiasta autem auctore *Ὀλυμπιονίκης γενόμενος καὶ πολλάκις στεφανωθεὶς πενιχρὸς ἦν, μηδὲν ἔχων ἀλλ' ἢ τὸν κότινον, ἐφ' οὗ Κρατῖνος εἶπεν.*

ἔσθιε καὶ σῇ γαστρὶ δίδου χάριν, ὄφρα σε λιμὸς
ἐχθαίρῃ, Κοννᾶς δὲ φιλοστέφανος νικήσῃ.

vel potius cum Suida *Φιλοστέφανός σε φιλήσῃ* propter Hesiod. *Ἔργ.* 298:

Ἐργάζευ, Πέρσῃ, Διίου γένος, ὄφρα σε λιμὸς
ἐχθαίρῃ, φιλέῃ δέ σ' ἐϋστέφανος Δημήτηρ.

unde vere Bergkius p. 73 suspicatur Connam aliquando eximium musicum fuisse [2]), post vero aetate pro-

[1]) Male viri docti hunc, qui summa constantia ab omnibus *κιθαῳδός* dicitur, tibicinem quoque fuisse putaverunt propter initium Scholii ad Eq. l. l. *ὁ Κοννᾶς αὐλητὴς ἦν καὶ μέθυσος, ὃς εἰς συμπόσια παρῄει συνεχῶς ἐστεμμένος*, cui scholio ludicro, cuius auctor ne Aristophanis quidem verba intellexit, quemquam fidem habere potuisse miror.

[2]) Hinc corrigendus doctiss. Groen, qui in Pros. Plat. p. 141 et 185 iniquius de Conna iudicavit.

vectiorem torpore quasi consenuisse et omni honore orbatum esse: quod ultimum Vesp. 675 quoque confirmatur, ubi Bdelycleo ad Philocleonem ait:

σὲ μὲν ἡγοῦνται Κόννου ψῆφον.

pro *tui nullam rationem habent*, ubi Schol. Ven. adscripsit: ἔστι δὲ παροιμία ἐπὶ τῶν μηδενὸς ἀξίων. Καλλίστρατος δὲ παροιμίαν φησὶ Κόννου θρῖον, παρ' ἣν παίζει· posuit enim ψῆφον, quippe ad Philocleonem φιλληλιαστήν.

Non minus nobilis citharoedus fuisse videtur Execestides, quippe qui teste Schol. ad Av. 11 non solum bis Panathenaeis, sed etiam ludis Pythiis et Carneis praemium reportaverit. Perstringit tamen Aristophanes eius modos tanquam ψιθυρούς et εὐήθεις in fragm. LIX Ed. Bergk., si vere Bergkius Schol. Av. 11 emendavit. Legitur scilicet eo loco: Ἐξηκεστίδης: τοῦτον ὡς ξένον διαβάλλουσι καὶ πλάνον· (tum sequuntur alia quae nihil ad rem faciunt) ἔστι δὲ καὶ ἕτερος ἔχων λύραν ἔργον Εὐδόξου, τιταίνει ψιθυρὸν εὐήθη νόμον, quae Bergkius sic emendat: ἔτι δὲ καὶ ἐν ἑτέροις:

Ἐξηκεστίδης ἔχων λύραν,
ἔργον Εὐδόξου, τιταίνει ψιθυρὸν εὐήθη νόμον.

Ingeniose sane, quamvis minus probem quod Ἐξηκεστίδης invexerit, quod illo loco positum versum iugulat. Scrupulum tamen iniicit Hesychius, apud quem haec tria lemmata legimus: Ἐξηκεστίδης· μοχθηρός, συκοφάντης. Ἐξήκεστος· ἡταιρηκώς· ὅθεν καὶ τοὺς πρωκτοὺς ὁμωνύμως Ἐξηκέστους ἔλεγον. Ἐξηκεστιδαλκεῖδαι· οἱ περὶ τὸν Ἐξηκεστίδην καὶ Ἀλκείδην τοὺς κιθαρῳδούς.

Quae ad unum citharoedum Bergkius p. 374 refert [1]), quamvis non minus recte suspiceris de duobus diversis Execestidis h. l. sermonem esse et recte adeo Dindorfium lacunae signum posuisse inter ἕτερος et ἔχων, qua coniectura probata fragmentum illud non ad eundem Execestidem, qui in Avibus memoratur, sed ad alium referendum et inter Anonymorum Comicorum fragmenta recipiendum erit: sed in his anceps iudicium est; certius est, eum ab Aristophane exagitari quod, peregrinus cum esset, in civitatem Atticam irrepsisset (Av. 10. 764. 1527).

Quos huc usque poëtas et musicos Aristophanis aequales recensuimus, omnes plus minusve eius tela senserunt; sunt tamen etiam, quamvis rari nantes in gurgite vasto, quos eximiis laudibus extulerit, Dexitheum dico et Arignotum, ambos citharoedos, quorum ille cum laude memoratur Ach. 13 sq.

ἀλλ' ἕτερον ἥσθην ἡνίκ' ἐπὶ Μόσχῳ ποτὲ
Δεξίθεος εἰσῆλθ' ᾄσόμενος Βοιώτιον.

In his versibus caetera perspicua sunt, sed haereo in verbis ἐπὶ Μόσχῳ, in quibus explicandis interpretes iam olim duplicem inierunt viam; quidam enim Μόσχον pro nomine proprio nescio cuius citharoedi Agrigentini habuerunt et verterunt *post Moschum*, alii μόσχον pro appellativo habuerunt, quos Bentleius secutus est in Resp. ad Boyl. p. 170, et existimarunt his

[1]) Bene Bergkius monuit Ἐξήκεστον non necessario pro diverso esse habendum ab Execestide; patronymica enim et primitiva quacunque de causa interdum promiscue ponuntur, quod iam magnus Hemsterhusius ad Plutum p. 325 et Koenius ad Greg. Cor. p. 290 (Ed. Schaef.) monuerunt.

verbis praemium designari, quod victor citharoedus reportaret. Cum autem huic eius explicationi obstet, quod aliunde probari nequeat, vitulum citharoedis dari solere pro praemio, illam amplectendam et, quod inde sequitur, Moschum inter malos citharoedos recipiendum duxi.

Maioribus etiam quam Dexitheum laudibus Aristophanes prosequitur amicum suum (Eq. 1277) Arignotum, filium Automenis (Vesp. 1275). Non solum enim eum appellat (Vesp. 1278)

τὸν κιθαραοιδότατον, ᾧ χάρις ἐφέσπετο,

cuiusque ὄρθιον νόμον omnes cognoverant (Eq. 1279), sed insuper ἅπασι φίλον ἄνδρα τε σοφώτατον (Vesp. 1277).

Arignoto adiungam fratrem Ariphradem, quod poësin, quamvis primis labris, attigit, de qua re priusquam dicam, praemittenda sunt quae de hominis improbitate et foedis libidinibus Aristophanes tradidit Eq. 1280:

ἔστιν οὖν ἀδελφὸς αὐτῷ (scil. Arignoto) τοὺς τρόπους
(οὐ συγγενής,
Ἀριφράδης πονηρός. ἀλλὰ τοῦτο μὲν καὶ βούλεται·
ἐστὶ δ' οὐ μόνον πονηρός, οὐ γὰρ οὐδ' ἂν ἠσθόμην,
οὐδὲ παμπόνηρος, ἀλλὰ καὶ προσεξεύρηκέ τι.
τὴν γὰρ αὐτοῦ γλῶτταν αἰσχραῖς ἡδοναῖς λυμαίνεται
ἐν κασωρείοισι [1]) λείχων τὴν ἀπόπτυστον δρόσον
καὶ μολύνων τὴν ὑπήνην καὶ κυκῶν τὰς ἐσχάρας,

cum quibus cf. Vesp. 1282 sqq. et Eccless. 129,

[1]) Sic lego cum Cobeto pro vulgato κασαυρίοισι.

quo loco inter mulieres memoratur. Neminem autem magistrum foedae suae libidinis habuerat, sed didicerat ἀπὸ σοφῆς Φύσεος αὐτόματος (Vesp. 1285), quae ideo addidisse videtur Aristophanes, ut omnem suspicionem a patre Automene et fratre Arignoto, quos, ut iam vidimus, eximie diligebat, averteret, nam iis non sine veri specie Bergkius p. 234 suspicatur quosdam culpae dedisse, quod Ariphradem corrupissent. Ut in moribus, sic in carminibus quoque fratri dissimillimus erat, quod testatur Aristophanes Eq. 1287, qui versus statim sequitur locum modo laudatum Equitum:

καὶ Πολυμνήστεια ποιῶν καὶ ξυνὼν Οἰωνίχῳ.

Sunt enim τὰ Πολυμνήστεια carmina lasciva, quae a Polymnesto, qui in hoc genere excelluisse videtur, nomen traxerunt teste Schol. Πολύμνηστος δὲ καὶ Οἰώνιχος ὅμοιοι ἀρρητοποιοί· Κρατῖνος:

καὶ Πολυμνήστει' ἀείδει, μουσικήν τε μανθάνει·

quem versum corruptum esse, satis indicat forma ἀείδει, quae in Comico ferri nequit. Quis autem fuerit ille Polymnestus et quo tempore vixerit, hodie nescimus: Polymnestum enim illum Colophonium, qui plus quam 200 annis ante Aristophanem Spartanis caneret, lascivorum carminum auctorem fuisse post ea quae Bernhardy Gesch. d. Griech. Litt. I. 325 disputavit, non credo.

A citharoedis transeo ad tibicines, quorum praeter Chaeridem non nisi duo iique valde obscuri apud Aristophanem occurrunt. Erat autem Chaeris idem citharoedus et tibicen, ut recte annotat Schol. Ach. 15 et qui maiorem auctoritatem habet Schol. Av. 859;

minus recte enim Schol. Pac. 951 alium citharoedum, alium tibicinem fuisse tradit, cum nesciret fieri posse, ut quisquam utrumque musices genus coniungeret, quod tamen accidisse docebit Müllerus in libro suavissimo, Gesch. d. Griech. Litt. I. p. 276. Aeque autem fidibus (Ach. 15) ac tibia displicebat Aristophani, et tibiis quidem tantopere, ut Ach. 866 mali tibicines in genere Χαιριδῆς βομβαύλιοι appellentur. Non solum autem in musica male audiebat, sed etiam quod, qua erat impudentia, non vocatus venire solebat, ubicunque sacrificium peragi videbat (Pac. 950); cuius rei exemplum habemus in Avibus, ubi corvi capistrati personam gerens ad sacrificium Pisthetaeri accedit (Av. 857 sqq.).

Restant adhuc duo illi obscuri tibicines, de quibus hoc loco breviter perfungar, quamvis non artis suae causa memorentur; sunt autem Thyrsos fr. 353, qui memoratur propter uxorem meretricem, et Pronomus, qui magnam alebat barbam (Eccles. 102. cum Schol.).

CAPUT QUARTUM.

DE PHILOSOPHIS.

Paene invitus accedo ad hanc partem dissertationis meae, in qua mihi de Socrate agendum erit, quia vehementer metuo, ne miserum lectorem *crambe repetita occidat.* Pleraque enim in hoc argumento iam toties tractato ab aliis occupata et omnibus nota sunt. Ut igitur lectori consulerem, quantum potui brevis esse studui et in Socratis Aristophanei imagine delineanda hanc legem secutus sum, ut nihil ponerem, quod nimis incertum et non nisi falsis virorum doctorum suspicionibus niti videretur, quod consilium in hoc argumento, in quo alius alio audacioribus coniecturis indulsit, sua laude non caret.

Priusquam tamen de eo dicam, paucis absolvam de Thalete, Prodico, Gorgia et Diagora, quos, quamvis periculum est, ne incurram in hodiernorum philosophorum reprehensionem, non dubitavi in caput de philosophis referre, quod vix operae pretium esset eorum gratia novum inchoare caput.

Horum autem Thales bis pro homine sapiente in genere ponitur Nub. 180; Av. 1009 (ἄνθρωπος Θαλῆς),

cum quibus iam olim Editores commode compararunt Plauti Capt. II. 2. 24:

Eugepae. Thalem talento non emam Milesium,
nam ad sapientiam huius ille nimius nugator fuit.

Praeter huic Prodico quoque *σοφίας καὶ γνώμης* laudes tribuit Nub. 361, ubi Nubes ad Socratem:

οὐ γὰρ ἂν ἄλλῳ γ' ὑπακούσαιμεν τῶν νῦν μετεωροσοφιστῶν πλὴν ἢ Προδίκῳ, τῷ μὲν σοφίας καὶ γνώμης οὕνεκα, σοὶ δέ κτἑ.,

ubi tamen cave, ne *σοφίαν* de vera illa et sublimi sapientia interpreteris, parum enim hoc conveniret fragmento Tagenistarum, quod ad h. l. citat Scholiasta, ubi Prodicus iuventutem corrumpere dicitur:

τὸν ἄνδρα τόνδ' ἢ βιβλίον διέφθορεν,
ἢ Πρόδικος, ἢ τῶν ἀδολεσχῶν εἷς γέ τις.

Contra h. l. *σοφία* intelligenda est ea, quae ad calliditatem accedit, ut Av. 1274, ubi praeco Pisthetaerum sic compellat:

στεφάνῳ σε χρυσῷ τῷδε σοφίας οὕνεκα
στεφανοῦσι καὶ τιμῶσιν οἱ πάντες λεώ.

Quod autem l. l. Aristophanes Nubes ei propitias esse dicit, spectat hoc ad eius studiorum, ut Comico quidem videbatur, vanitatem, quae maximam partem versabantur in subtilibus verborum explicationibus, de quibus cf. Heindorfium ad Plat. Charmidem § 24, et in disputationibus de rebus coelestibus, quae h. l. vocabulo *μετεωροσοφιστῶν* notantur et praeterea Av. 692:

ἵν' ἀκούσαντες πάντα παρ' ἡμῶν ὀρθῶς περὶ τῶν μετεώρων, Φύσιν οἰωνῶν γένεσίν τε θεῶν ποταμῶν τ' Ἐρέβους τε χάους τε
εἰδότες ὀρθῶς παρ' ἐμοῦ Προδίκῳ κλάειν εἶπητε τὸ λοιπόν.

Praeter Prodicum e toto Sophistarum grege apud Aristophanem nemo nisi Gorgias occurrit, cui quam infenso animo Aristophanes debuerit esse, non opus est demonstrare. Memoratur non nisi una cum Philippo quodam, qui eius filius dicitur Vesp. 421, quo indicatur eum iisdem studiis deditum esse quibus Gorgiam (cf. Vesp. 421, 1243, 1267). Iterum nomina eorum coniunguntur Av. 1694 sqq., ubi in genere *Γοργίαι τε καὶ Φίλιπποι* dicuntur improbum illud *ἐγγλωττογαστόρων γένος, οἳ θερίζουσίν τε καὶ σπείρουσι καὶ τρυγῶσι ταῖς γλώτταισι συκάζουσί τε*, qui *ἐν Φαναῖσι πρὸς τῇ κλεψύδρᾳ*, i. e. Athenis in iudiciis versabantur et calumniando magnas opes conquirebant. Recte autem hi *Γοργίαι* dici poterant, quia, ex quo ille Athenis degens pecunia artem venalem habebat et revera *ἐτρύγα τῇ γλώττῃ*, mirum quantum omnes studebant acquirere artem persuadendi, quod Aristophanes indicat his verbis: *κἀπὸ τῶν ἐγγλωττογαστόρων ἐκείνων τῶν Φιλίππων πανταχοῦ τῆς Ἀττικῆς ἡ γλῶττα χωρὶς τέμνεται*: cf. Plat. Hipp. Mai. p. 282 b.; Philostr. vit. Soph. I. 9. p. 492. Ed. Olear. Praeterea hoc quoque iniquo animo ferebat, quod Athenienses *peregrinum*, quem odioso nomine Barbarum appellat, tanto studio et favore persequerentur, de qua re loquitur Av. 1700: *βάρβαροι δ' εἰσὶν γένος Γοργίαι τε καὶ Φίλιπποι*[1]): vix enim vocabulum *βάρβαροι* ad calumniatores illos in iudiciis, referri potest, quod tamen constructio loci flagitare videtur.

---

[1]) De Philippo illo ceteroquin nihil constat, nisi quod Vesp. 421 merito condemnatus esse dicitur.

Non silentio praeterire licet suspicionem infelicem Suevernii in ceteroquin ingeniosa Commentatione de Avibus, secundum quem Aristophanes in Pisthetaeri persona effinxit et quasi coalescere fecit Alcibiadem et Gorgiam: sed haec coniectura, praeterquam quod aliena videtur ab Aristophanis comoedia, tam incertis nititur argumentis, ut mireris fere tale quid Suevernio excidere potuisse, nisi statuas eum h. quoque l. ut saepius in isto libello δουλεύειν τῇ ὑποθέσει.

In eadem fabula memoratur Diagoras, notissimus ille ἄθεος, in quem tempore quo Aves docebantur κήρυγμα editum erat, quod memoratur vs. 1071:

τῇδε μέντοι θἠμέρᾳ μάλιστ' ἐπαναγορεύεται,
ἢν ἀποκτείνῃ τις ὑμῶν Διαγόραν τὸν Μήλιον,
λαμβάνειν τάλαντον,

cui teste Melanthio ἐν τῷ περὶ μυστηρίων apud Schol. additum erat, duo talenta praemium decretum esse, si quis eum vivum adduxisset. Causa autem, quapropter Athenienses eum finibus suis exterminarint, erat quod mysteria evulgaverat, docendoque ea commenticia esse τοὺς βουλομένους μυεῖσθαι ἀπέτρεπεν (vid. Craterum apud Schol.), quod fecerat in libro cui titulus ἀποπυργίζοντες λόγοι, de quo vide Bergkium, p. 173. Eandem impietatem Aristophanes tangit Ran. 318: ubi Xanthias ad Bacchum ait:

ταῦτ' ἐστ' ἐκεῖν', ὦ δέσποθ', οἱ μεμυημένοι
ἐνταῦθά που παίζουσιν, οὓς ἔφραζε νῷν.
ᾄδουσι γοῦν τὸν Ἴακχον, ὅνπερ Διαγόρας.

ad quem locum Aristarchus annotat, Aristophanem Διαγόρου νῦν μνημονεύειν οὐχ ὡς ᾄδοντος αὐτοῦ τοὺς θεούς, ἀλλ' ἐν εἰρωνείᾳ κειμένου τοῦ λόγου, ἀντὶ τοῦ χλευά-

ζοντος, ἐξορχουμένου. Non tantum autem mysteriorum evulgatorum eum accusabant, et etiam criminabantur, quod ἄθεος esset, i. e. ab opinionibus vulgo de diis receptis recederet, ut bene explicavit hoc vocabulum Cobetus in Prosopogr. Xenoph. p. 19, unde explicandus Nub. 830, ubi Socrates Μήλιος dicitur; cum enim Diagoras Melo oriundus esset, nemo non intelligebat, Aristophanem hoc epitheto indicare velle Socratem quoque ἄθεον esse.

Sed de his satis: redeo ad Socratem. Is igitur nobis ab Aristophane proponitur tanquam homo pauper, qui vitam trahit miseram et aerumnosam (363)[1]), et in victu quotidiano nihil differt a mendico: sine calceis obambulat (102, 303); male corpus curat, nam neque lavat, neque tondetur, neque ungit corpus (836, Av. 1555), quod Av. 1282 comice σωκρατεῖν dicitur: habitat in parvis aedibus, quae φροντιστήριον appellantur (94, caet.), in quibus omnia squalent summa immunditie (cf. grabbatum cimicibus refertum 634, 694); inedia et algore necatur, et a vino, ἀδηφαγίας (sic enim e Diog. Laert. II. 27 pro γυμνασίων legendum esse Cobetus vidit), Venere continuo abstinet 413 sqq., 438 sqq. Ut autem hanc vitam quantumvis miseram sustentet, a discipulis mercedem exigit (98, cf. 668, 1146); neque hoc satis; miseris vestem et calceos adimit (497, 719, 858, 1104, 1498), quin etiam non dubi-

[1]) Monitum velim lectorem ubicunque legatur in disputatione de Socrate numerus non addito fabulae nomine semper Nubes intelligendas esse.

tat esuriens in palaestra furari hostiolam, (θυμάτιον) nam non dubito, quin Hermannus vere sic emendaverit vulgatum θοἰμάτιον (180) [1]. In ipsa autem illa vitae tenuitate valde superbus est et cum incessu, tum vultu contemptum hominum prae se fert, βρενθύεται καὶ τῷφθαλμῷ παραβάλλει (362).

Non ut verus ille Socrates, quem e Xenophonte cognovimus, semper in publico versatur, sed habet ludum literarium, in quem novitii initiantur ludicris caeremoniis (254 sqq), quibus non magis quam initiatis in Eleusiniis mysteriis quidquam eorum, quae in ludo aguntur, cum aliis communicare licet (140). Continuo delitescunt in scholae umbra, neque

οἷόν τ' αὐτοῖσι πρὸς τὸν ἀέρα
ἔξω διατρίβειν πολὺν ἄγαν ἐστὶν χρόνον,

unde miserum in modum pallent (102, 120, 504, caet.). Socrates, vel αὐτός, ut discipuli eum appellant (219), purus putus ludi magister est, qui discipulis verbera minatur (493), et non, qui mos Socratis erat, interrogando insinuat placita, sed praecipiendo docet, ut vere observat Hermannus in Praef. Nub. XLV. Sophistarum more iis quaestiones proponit (προβάλλει cf. 144—154, 489, 757) et ipse quas sibi proponunt discipuli solvit (154—179). Sunt autem illa προβλήματα perridicula, ut v. c. illud de pulice πόσους ἄλλοιτο τοὺς αὐτῆς πόδας, quod Xenophon in Symposio VI. 8

[1]) Eupolis quoque furtum Socrati obiecit in corrupto fragmento, quod legitur apud Schol. ad Nub. 96:

Δεξάμενος δὲ Σωκράτης τὴν ἐπίδειξιν...
Στησιχόρου πρὸς τὴν λύραν, οἰνοχόην ἔκλεψεν.

imitatus est, sed quibus meliora non exspectes ab eo, qui est λεπτοτάτων λήρων ἱερεύς (359 cl. 1404) et discipulos docet λεπτολογεῖν καὶ περὶ καπνοῦ στενολεσχεῖν (320).

Divinae autem illius artis bene distinguendi, qua Socratem apud Xenophontem semper uti videmus, apud Socratem Aristophaneum nec vola nec vestigium est: contra irridetur ni fallor vss. 740 sqq., ubi Socrates miserum Strepsiadem, qui nequit

ἐκφροντίσαι τι τῶν ἑαυτοῦ πραγμάτων,

quod eum iusserat, sic alloquitur:

ἴθ' ἐγκαλύπτου [1]) καὶ σχάσας τὴν φροντίδα
λεπτὴν κατὰ μικρὸν περιφρόνει τὰ πράγματα,
ὀρθῶς διαιρῶν καὶ σκοπῶν . . . . . .
. . . κἂν ἀπορῇς τι τῶν νοημάτων
ἀφεὶς ἄπελθε κἄτα τὴν γνώμην πάλιν
κίνησον αὖθις αὐτὸ καὶ ζυγώθρισον:

sed hoc incertius esse fateor.

Audax novator circa res divinas est et recedit ab opinionibus, quas vulgo de diis habebant (cf. 830, ubi Μήλιος dicitur, de quo loco supra vidimus); abiecit enim Iovem, caeterosque deos, quos Graecia colebat, inque eorum locum alios [2]) introduxit:

τὸ χάος τουτὶ καὶ τὰς Νεφέλας καὶ τὴν γλῶτταν
(τρία ταυτί

(424), quae numina adorare praecipit Strepsiadi; ipse

[1]) Sic enim lego cum Cobeto pro eo quod est in Editionibus ἴθι νυν καλύπτου.

[2]) Dinum inter deos illos Socrateos non retuli, quum Socrates eum non pro deo habeat, sed Strepsiades demum, verbis magistri non intellectis, Dino divinitatem tribuat cf. 379.

tamen paullo antea (264) aërem, aetherem et Nubes invocaverat, quae sane inter se certant, sed in illo Socrate non premenda sunt, quum nihil aliud significare voluerit Aristophanes nisi vanos eius deos esse et revera χυτρεοῦς, ut Strepsiades errore perspecto Dinum appellat (1474). Iurat itaque non per deos, sed per ἀναπνοήν, Chaos et aërem (626), et eius exemplo Strepsiades per eundem aërem (667) et per ὁμίχλην (614). Eadem opera qua deos apud omnes receptas fabellas abiicit, quas de iis vulgo narrabant; sic v. c. vs. 397 impugnat quod vulgo credebant Iovem periuros fulmine percutere, cui adde, quod ait ὁ ἄδικος λόγος, iustitiam apud Iovem esse non posse, quippe qui ipse suum patrem in vincula coniecerit (904 cf. 1077). — In eo quoque Aristophanes Socratem impietatis insimulat, quod dicat eum se dedere inani rerum coelestium et subterranearum perscrutationi (περιΦρονεῖ τὸν ἥλιον (225) et ζητεῖ τῆς σελήνης τὰς ὁδούς (171), nam, ut commode observat Plato in Apologia p. 18 c, οἱ ἀκούοντες ἡγοῦνται τοὺς ταῦτα ζητοῦντας οὐδὲ θεοὺς νομίζειν. Observat autem τὰ μετέωρα e κρεμάθρας in qua ἀεροβατεῖ, quod qua de causa faciat vide iocularitер expositum 225 sqq. Docet coelum esse furnum (95), quod iam ante Aristophanem Cratinum in Πανόπταις Hipponi obiecisse auctor est Schol. ad h. l.: explicat porro stupenti rustico causas unde pluvia, fulmen et tonitru oriantur, quas vide 375—412. Quaestiones quoque de meteoris discipulis proponit (490), qui ad magistri exemplum geometriae et astronomiae operam dant (194, 201 sqq.) et insuper

ζητοῦσι τὰ κατὰ γῆς (188 cf. 193), ne quam mundi partem inexploratam omittant.

Sed praeterquam quod discipulos impiis opinionibus imbuit et inanibus his τῶν μετεώρων investigationibus ab utilioribus studiis avocat, docet

λέγοντα νικᾶν καὶ δίκαια κἄδικα

(99), quae praecipua pars est eius disciplinae et id ipsum propter quod plerique eius scholam frequentant. Priusquam tamen iis hanc graviorem scilicet disciplinam tradit, eorum animos Sophistarum more praeparat (658) studiis grammaticis: docet enim eos μέτρα, ῥυθμούς et ἔπη, quo ultimo vocabulo intelligendam esse ὀρθοέπειαν, quam Protagoras imprimis doceret, vidit Bergkius p. 333, cum quo cf. Heindorfium ad Plat. Phaedr. § 114[1]) et, qui omnium instar est ipsum Aristophanem a vs. 659—693. Post hanc demum προπαιδείαν discipulum docebat, quod iam dixi,

λέγοντα νικᾶν καὶ δίκαια κἄδικα.

Habet scilicet Socrates

ἄμΦω τὼ λόγω
τὸν κρείττον', ὅστις ἐστί, καὶ τὸν ἥττονα·
τούτοιν τὸν ἕτερον τοῖν λόγοιν τὸν ἥττονα
νικᾶν λέγοντά Φασι τἀδικώτερα.

(112), quorum ὁ ἥττων λόγος[2]) sic dictus est, quod, ut ait ὁ ἄδικος λόγος (1038),

---

[1]) Praetermisit Heindorfius citare Aristotelem in Rhet. III. 5: *Πρωταγόρας τὰ γένη τῶν ὀνομάτων διῄρει ἄῤῥενα καὶ θηλέα καὶ σκεύη*; quae ad Aristophanis locum illustrandum eximie faciunt.

[2]) Iocose ὁ ἥττων λόγος dicitur ὁ μηδὲν ἀποδιδούς (224) et ὁ ἀκατάβλητος λόγος (1229).

ἐγὼ γὰρ ἥττων μὲν λόγος δι' αὐτὸ τοῦτ' ἐκλήθην
ἐν τοῖσι Φροντισταῖσιν, ὅτι πρώτιστος ἐπενόησα
τοῖσιν νόμοις καὶ ταῖς δίκαις τἀναντί' ἀντιλέξαι

(1038). Tradit itaque Socrates artem, qua quis causam inferiorem dicendo superiorem reddere possit et vel absurdissima et iniustissima quaeque defendere, quam artem tam bene docet, ut Phidippides, qui antea ne tria quidem verba sine vitio dicere posset (872), ex eius disciplina perfectus sophista redeat. Nihil enim magis σοφιστικόν excogitari potest, quam fallacia et captiosa argumenta, quibus utitur in illa disputatione, qua ipsi patri persuadet iustum esse patrem verberari a filio (1405 sqq.); quibuscum cf. quae idem dicit de τῇ ἕνῃ καὶ νέᾳ (1177) et quae ὁ ἄδικος λόγος disputat contra τὸν δίκαιον λόγον (889—1104), quae plena sunt ῥηματίοις καινοῖς καὶ διανοίαις, ut hic argumenta sophistica appellat vs. 943: cf. 806, 1399.

Hoc autem modo instituendo iuvenes penitus corrumpit et depravat: qui enim antea fuerant modesti (961), pii, verbo qui ᾐσχύνοντο τοῖς αἰσχροῖς (992), ex eius disciplina prodeunt audaces, improbi, omni pudore carent (909, 1329), λαλιὰν μόνον ἀσκοῦσι (931), relictis palaestris balnea calida et forum frequentant (1054), contemnunt instituta patria (1400), postremo νομίζουσι μηδὲν αἰσχρόν (1078, 1020), et eo impietatis procedunt, ut parentes verberent (1321 sqq.).

Proposui, quam brevissime potui, imaginem Socratis Aristophanei, de quo iam quid sentiam in medium proferam. Imprimis autem in hac disputatione

Diu est ex quo viri docti elaborarint, ut probabilem causam invenirent, cur tandem Aristophanes Socratem virum innocentissimum tanquam corruptorem iuventutis in scena proposuerit: neque mirum eos talem probabilem causam invenire non potuisse, quum semper neglexerint accurate inquirere, quaenam necessitudo esset inter Socratem et Sophistas, et quonam animo populus Atheniensis erga utrosque fuerit, si enim ad hanc rem melius attendissent, statim vidissent multo magis mirum futurum fuisse, si alium quam Socratem Aristophanes in scenam produxisset.

Accurate autem nuper has quaestiones denuo tractavit Henricus Grote in Hist. Graec. vol. VIII inde a pag. 477, ubi ostendere conatur Sophistas non id egisse, ut iuventutem corrumperent, neque eos perniciosos civitati fuisse, sed contra liberalioribus studiis iuvenes erudiendo bene de ea meruisse; Socratem porro non tam adversarium Sophistarum, quam ipsum Sophistam fuisse qui non nisi vitae singularitate, docendi ratione et ingenii sublimitate a caeteris diversus esset. Quas opiniones tam firmis plerumque argumentis demonstravit, ut veteres de hac re sententias si minus prorsus everterit, saltem vehementer labefactarit. Ego saltem post eius disputationem non vereor statuere pleraque, quae Sophistis obiiciuntur non nisi e calumniis aequalium orta esse, deinde Socratem cum iis multa communia habuisse et Athenis adeo pro Sophista habitum fuisse. Quod si verum est, non difficile est indagare, primum quo consilio Aristophanes Nubes conscripserit, deinde cur po-

tissimum Socratem in scenam produxerit, tandem qui ausus fuerit tam parum veritati consentaneam imaginem eius proponere.

Erat enim Aristophanes ex eorum numero, qui odium altis radicibus defixum fovent contra omnia novitia, et pertinaciter vetera et absoleta retinent, cuiusmodi hominum Athenis quoque larga seges erat, et necessario adeo iniquissimo animo ferebat innovationem Socratis et Sophistarum, qui quamvis diversis rationibus iuvenes erudirent et ad rempublicam capessendam aptiores redderent. Non autem erat Comicorum odium pectore premere, sed libere ea quae minus placebant notabant, et igitur non mirum si Aristophanes constituerit integra fabula novatores illos contemtui et risui populi exponere. Quod consilium quum cepisset, multa eum hortabantur, ut Socratem potius quam alium Sophistam deligeret, in cuius persona omnes novos illos doctores irrideret.

Primum enim ipsa oris deformitate et habitus insolentia [1]) tam largam ridendi materiam suppeditabat, ut sponte Comicorum telis sese offerre videretur. Deinde quum opus esset, ut is, cui primas partes in sua fabula daret, omnibus vel infimae sortis Atheniensibus notus esset, vix quemquam reperire potuisset magis idoneum quam Socratem, qui semper Athenis habitasset et continuo in publico versaretur, dum Sophistae contra peregrini essent, et quamdiu Athenis commorarentur raro sui copiam plebi facerent,

[1]) Cf. Hermannum in Praefatione Nubium p. XXXIII.

quum in divitum fere domibus versarentur. Nihil praeterea gratius fore putabat magnae auditorum parti, quam si bene traduceret Socratem, quem multi hoc quoque nomine oderant, quod ipsis, qui aliis maximeque sibi sapere viderentur, ἐπειρᾶτο δεικνύναι, ὅτι οἴοιντο μὲν εἶναι σοφοὶ, εἶεν δ' οὔ (Plato Apol. 21. b. sqq.) [1]).

Exposita igitur causa, cur Socrati potissimum partes primae in Nubibus datae sint, iam consideremus crimina, quae Aristophanes in eum coniecit. Proposuit igitur in Socratis persona ineptum et improbum ludi magistrum, qui non solum inani rerum coelestium perscrutatione adolescentes ab utilioribus studiis avocat et impietate eorum animos imbuit, sed etiam per fallaces dicendi artes, quibus vel absurdissima quaevis et scelerosissima defendi possint, corrumpit et penitus depravat (Herm. Praef. p. XL.); in quibus quam parum veritatis rationem habuerit, non opus est ostendere, quum omnes [2]) opinor in eo conspirent, in Aristophane Socrateo, praeter habitum [3]) et oris deformitatem, quam sine dubio in eius persona exprimi curavit Aristophanes, nihil plane referre veri

[1]) Scripseram haec de causis cur Socratem potissimum delegerit Aristophanes, quem in scenam produceret, priusquam legeram, quae Grote VIII. p. 461 de eodem argumento dixit, quem nunc video eandem quam me de ea re sententiam habere.

[2]) Fuerunt tamen, qui criminationes Socratis pro verissimis habuerint, ut v. c. Henningsius et Roetscherus ambo Hegeliani, quos tamen iam Suevernius in Commentatione de Nubibus refutavit.

[3]) Minus verum tamen est, quod dicit Aristophanes eum immundum esse et abstinere a vino (cf. Platonis Symposium in fine).

Socratis imaginem, sicut Xenophon eum depinxit, qui quin optimus fons sit ex quo veram Socratis cognitionem hauriamus iam nemo dubitat.

Sunt haec crimina autem non ab ipso Aristophane ficta, sed maximam partem arrepta videntur ab eo e vulgi sermonibus, quod eadem illa crimina *κατὰ πάντων τῶν φιλοσοφούντων* effutiebat, quod tum e re ipsa patet, tum demonstrari potest e Platone in Apologia p. 23, ubi Socrates ait: *λέγουσι ὡς Σωκράτης . . . διαφθείρει τοὺς νέους, κἀπειδάν τις αὐτοὺς ἐρωτᾷ, ὅ τι ποιῶν καὶ ὅ τι διδάσκων, ἔχουσι μὲν οὐδὲν εἰπεῖν, ἀλλ' ἀγνοοῦσιν, ἵνα δὲ μὴ δοκῶσιν ἀπορεῖν, τὰ κατὰ πάντων τῶν φιλοσοφούντων πρόχειρα ταῦτα λέγουσιν ὅτι τὰ μετέωρα καὶ τὰ ὑπὸ γῆς ζητεῖν καὶ θεοὺς μὴ νομίζειν καὶ τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν.* Quod si verum est, simul cognoscimus, qui ausus fuerit Aristophanes mendacia illa coram populo fundere et non metuerit, ne populus indigne ferret, quod innocentem virum tam male mulcaret [1]). Habebat enim ipse populus eadem illa crimina continuo in ore, ut modo vidimus, et nullum adeo periculum erat, ne iis offenderetur.

Iam si quaerimus utrum Aristophanes ipse crimina illa pro veris habuerit necne (nam multos iis fidem habuisse non est quod negemus [2]), equidem credo eum

[1]) Recte enim Hermannus p. XLV: »In ridendo ea maxima ars »est, ut, quantumvis omnia exaggerentur, tamen ingenium cuius»que et mores, quam possint serventur accuratissime. Alioqui non »hunc sed alium falso nomine rideri censemus, illi autem cuius »nomen audimus iniuriam fieri."

[2]) Cf. Plato Apologia 18 d: *ὅσοι δὲ φθόνῳ καὶ διαβολῇ χρώμενοι ὑμᾶς ἀνέπειθον, οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ πεπεισμένοι ἄλλους*

optime novisse eas non nisi meras calumnias esse [1]). Nimis ridicula enim eorum opinio est, qui dicant eum imprudentem et bona fide Socratem tot tantisque maledictis obruisse; si hoc enim ita esset, statuendum foret acutissimum Aristophanem latuisse, quaenam ratio fuerit philosophiae Socraticae, quod absurdum est, quum ea non in umbra scholae delitesceret, sed in viis tabernisque cuique prostaret, ut non semel in Apologia a Platone monitum est. Nec magis accedo eorum opinioni, qui Aristophanem excusant dicendo Socratem aliquantum saltem ansam dedisse criminationibus Aristophanis; aiunt enim, eum nequaquam abhorruisse in iuventute ab inanibus *τῶν Φυσικῶν* speculationibus (Platon. Phaed. p. 96 a) et hinc factum esse, ut tanquam physicus in scena produceretur: at quo tempore Aristophanes alteras Nubes conscribebat, Socrates erat 51 annos natus et diu istas ineptias abiecerat, nec alium in finem geometriae et astronomiae operam dare commendabat discipulis, nisi ut aliquid utilitatis inde in vitam hominum redundaret: cf. Xenoph. *Ἀπομν.* IV. 7. Iidem crimen impietatis inde natum existimant, quod Socrates ipse perspicacioribus satis proderet, quantum contem-

πείθοντες, οὗτοι πάντες (Leg. *πάντων* cum Cobeto) *ἀπορώτατοί εἰσιν.*

[1]) Recte Grote VIII. p. 499 sqq.: »Such accusations are indeed »only one of the manifestations, ever varying in form though »the same in spirit of the antipathy of ignorance against dissenting »innovation or superior mental accomplishments; which antipathy »intellectual men themselves, when it happens to make on their »side in a controversy, are but too ready to invoke."

neret, quae vulgus credebat religiosissime (Herm. p. XXXVIII): quod etiamsi concedamus verum esse, tamen vel sic calumniatur Aristophanes, quod fecerit eum discipulos docentem θεοὺς οὐ νομίζειν, cum contra tum aliunde, tum e Xenoph. Apomn. IV. 3. 16 sqq. constet, eum semper ad pietatem eos exhortatum esse. Postremo statuunt poëtam facile in opinionem adduci potuisse, Socratem corrumpere iuventutem, cum videret interdum insolentes et improbos, ut Alcibiadem et Critiam ex eius disciplina prodire, quasi vero tam stolidus fuisset Aristophanes, ut existimaret semper magistro imputandos esse corruptos discipulorum mores, et nesciret non Socrati tribuendum esse, quod Alcibiadis et Critiae mores minus probi essent, sed aliis causis, quas vide apud Xenoph. Apomn. I. 2. 15, 16, 24 et Plat. Theaet. 150 e.

Nihil igitur reliquum est, nisi statuere Aristophanem odio novae disciplinae malitiose Socratem minime tale quid meritum calumniatum esse. Iniustum tamen foret hinc concludere velle Aristophanem pessimum hominem fuisse. Multum enim concedi oportet fervidis Graecorum animis, qui, ut Cicero ait de Fin. II. 25. 80, maledictis insectantur eos a quibus de veritate dissentiunt, multum denique quidvis effutiendi libertati Bacchanalibus concessae; quarum excusationum si diligenter ratio habita erit, iudicium meum de Aristophane multum de sua duritia amittet.

Coniuncta cum quaestione de Socrate est ea de argumento priorum Nubium, quod Fritzchius in Quaest. Arist. p. 111 sqq. conatus est demonstrare toto coelo diversum fuisse ab illo alterarum Nubium, quae coniectura si vera esset, mea disputatio de Socrate necessario falsa foret. Sed donec certioribus argumentis coniecturam suam adstruxerit vir doctissimus, equidem sequor auctorem IV^ti argumenti Nubium, qui consulto loquens de iis quae in prioribus Nubibus mutata sunt, dicit multa quidem διασκευάσθαι, sed indolem fabulae eandem mansisse, sic enim intelligo prima verba: τοῦτο ταὐτόν ἐστι τῷ προτέρῳ, διεσκεύασται δὲ ἐπὶ μέρους; cuius διασκευῆς quae ratio fuerit, deinde exponit. Confirmat huius sententiam Plato, qui in Symposio de Nubibus *prioribus* sic loquitur p. 19 b: τί δὴ λέγοντες διέβαλλον οἱ διαβάλλοντες; ὥσπερ οὖν κατηγόρων τὴν ἀντωμοσίαν δεῖ ἀναγνῶναι αὐτῶν. Σωκράτης ἀδικεῖ καὶ περιεργάζεται ζητῶν τά θ' ὑπὸ γῆς καὶ τὰ ἐπουράνια, καὶ τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιῶν, καὶ ἄλλους ταὐτὰ ταῦτα διδάσκων. Τοιαύτη τίς ἐστι· ταῦτα γὰρ ἑωρᾶτε καὶ αὐτοὶ ἐν τῇ Ἀριστοφάνους κωμῳδίᾳ, Σωκράτη τινὰ ἐκεῖ περιφερόμενον, φάσκοντά τ' ἀεροβατεῖν καὶ ἄλλην πολλὴν φλυαρίαν φλυαροῦντα, ὧν ἐγὼ οὐδὲν οὔτε μέγα οὔτε σμικρὸν πέρι ἐπαΐω: ex quibus verbis quomodo quis argumentum petere possit, quo demonstretur priores Nubes plane diversas fuisse ab alteris, ut fecit Fritzchius l. l. p. 123, fateor me non intelligere.

De amicitia inter Socratem et Euripidem iam supra locuti sumus, adeoque nihil restat nisi ut pauca addam de Chaerephonte Socratis discipulo, cui non magis quam magistro Aristophanes pepercit. Causa autem, cur eum potissimum delegerit, quem traduceret, in eo sita esse videtur, quod ingenio acer et fervidus

vel, ut Platonis verbis utar in Apol. p. 21 a, σφοδρὸς ἐφ' ὅ τι ὁρμήσειε, tanto amore complecteretur Socratem, ut vel Plato eum non sine aculeo μανικόν dixerit in Charmide p. 153 b., de cuius vocabuli significatione vide omnino Groen p. 205. Sed non minus insignis erat summa macie et pallore, unde ἡμιθνής (N. 504) et θάψινος (Vesp. 1415) dictus est, et cognomen accepit Vespertilionis (Av. 1564) et filii Noctis (fr. 486). In omnibus rebus praebet se discipulum magistro dignum; nam non solum inanium rerum perscrutationi se dedit, ut vel pulicum vestigia noverit (N. 144, 850), sed etiam συκοφαντεῖ (fr. 457 cl. Vesp. 1413, ubi κλητεύει mulieri panariae), et furatur (fr. 282), ne in qua re magistro cessisse videatur: sed magnopere metuo, ut his criminibus maior fides haberi possit quam iis, quae Aristophanes in eius magistrum protulit.

CAPUT QUINTUM.

DE FATIDICIS ET DE IIS, QUI ALIQUAM ARTEM PROFESSI SUNT.

Pervenimus iam ad ultimum caput huius libelli in quod omnes coniecimus, qui quamcunque tandem artem professi apud Aristophanem memorantur.

Primi prodeant οἱ Μάντεις, fraudulentum et rapax hominum genus, qui merito Aristophanis acerbitatem senserunt. Quaestus scilicet causa (Av. 973) pessimi impostores oracula a se ficta, quae ad Sibyllam, Bacidem aliumve nobilem fatidicum referebant [1]), superstitioso populo Atheniensi, qui gestiebat oracula audire (Thuc. II. 21) et revera ἐσιβυλλία (Eq. 61), decantabant: quin etiam impudentes homines non dubitabant oracula edere, postquam res, quae oraculo praedicta erat scilicet, diu acciderat (Av. 964). Tales ineptias non ferebat Aristophanes, sed eos tum singulos, de quibus postea videbimus, tum in genere explodere aggressus est in Avibus, vs. 959—992, ubi fatidicus oracula de Nubicuculia iam condita debla-

[1]) Hanc fraudem iam admiserat Onomacritus Pisistratidarum tempore, ut narrat Herodotus VII. 6.

terans sacrificio intervenit, quod Pisthetaerus pro recens condita urbe facit: recitat homo de scripto (*βιβλίον* 974 sqq.) oraculum Bacidis scilicet, in quo Bacis omnia fausta Pisthetaero pollicetur, addita conditione:

ὅς δέ κ' ἐμῶν ἐπέων ἔλθῃ πρώτιστα προφήτης,
τῷ δόμεν ἱμάτιον καθαρὸν καὶ καινὰ πέδιλα,
καὶ φιάλην δοῦναι, καὶ σπλάγχνων χεῖρ' ἐνιπλῆσαι.

Respondet Pisthetaerus alio oraculo, quod se *παρὰ τἀπόλλωνος ἐκγράψασθαι* ait, in quo deus iubet verberare, quicunque

ἄκλητος ἰὼν ἄνθρωπος ἀλαζὼν
λυπῇ θύοντας καὶ σπλαγχνεύειν ἐπιθυμῇ,

et nemini parcere,

μήτ' ἦν Λάμπων ᾖ, μήτ' ἦν ὁ μέγας Διοπείθης,

quod mandatum exsequens hominem male mulcatum abigit. Sed praeter fraudem et sordidam avaritiam alia quoque causa erat, cur Aristophanes vates implacabili odio persequeretur. Favebant scilicet bello et omnibus modis pacem prohibere conabantur, quia belli tempore, populi animis, ut fieri solet, commotioribus factis, multo maiore auctoritate fruebantur, quam pace, et meliorem opportunitatem habebant quaestus[1]) faciendi, *ἐπὶ γὰρ τοῦ πολέμου χρεία τῶν μάντεων*, ut annotat Schol. ad Pac. 1084. Quid mirum igitur si Aristophanes, qui continuo pacem civibus suadebat, belli concitores istos acerbe perstrinxerit.

---

[1]) Belli tempore victus quotidianus iis praebebatur publice in Prytaneo (Pac. 1084 c. Schol.).

Sed videamus iam de singulis et primum quidem de Lampone, quod reliquos tum aetate, tum nobilitate antecedit (Av. 988). Summa auctoritate Athenis florebat, et non solum de iure sacro respondebat, sed etiam rempublicam administrabat, quod et aliunde constat, ut videre licet apud Bergkium p. 50 sq., tum inde quoque quod Pericles eius maxime opera usus fuit in colonia Thurios deducenda (Plut. Praec. Rep. ger. 15), cui provinciae cum novem aliis praefuit (Schol. Av. 521): unde probabile est eum peti Nub. 532, ubi Socrates de potentia Nubium disserens ad Strepsiadem ait:

οὐ γὰρ μὰ Δί' οἶσθ' ὁτιὴ πλείστους αὗται βόσκουσι (σοφιστὰς
Θουριομάντεις, ἰατροτέχνας, σφραγιδονυχαργοκομήτας;

quibus verbis Aristophanes significat eius artem inanem et vanam esse, et, si ultimum vocabulum ad *Θουριομάντεις* quoque referendum est, ei exprobrat otiosam et delicatam vitam. Ceteroquin, si fides habenda est Aristophani, iisdem vitiis erat obnoxius quibus caeteri minus nobiles vates, non solum enim exagitantur eius fraudes Av. 521:

Λάμπων δ' ὄμνυσ' ἔτι καὶ νυνὶ τὸν χῆν' ὅταν ἐξα- (πατᾷ τι·

unde simul discimus eum ut Socratem per anserem iurare solitum fuisse, sed etiam obiicitur ei, quod non invitatus ad sacrificia accedat Av. 986. Eaedem sordes ultimo loco obiiciuntur Diopithi, qui cognominatur *ὁ μέγας*: videtur autem is quoque, ut Lampo, non solum oraculorum interpres fuisse, sed etiam rempublicam attigisse, annotat quippe Schol.: *ὁ δὲ*

Διοπείθης νῦν μὲν ὡς χρησμολόγος, ἑτέρωθι δὲ ὡς κυλλὸς καὶ δωροδόκος. Σύμμαχος ὅτι Διοπείθης ὁ ῥήτωρ ὑπομανιώδης ἦν, ὡς Τηλεκλείδης ἐν Ἀμφικτύοσι δῆλον ποιεῖ. Quod confirmat Plutarchus in Nicia 23, scribens Diopithem εἰσαγγέλλεσθαι τοὺς τὰ θεῖα μὴ νομίζοντας ἢ λόγους περὶ τῶν μεταρσίων διδάσκοντας. Ficta insania videtur oracula protulisse, sic enim Bergkius p. 170 vidit explicandum esse, quod ab Amipsia in Conno (v. Schol. Av. 988) dicitur παραπαιόμενος (sic enim legendum pro παραμαινόμενος) et ab Aristophane eius nomen ponitur pro ipsa insania (Vesp. 379):

ἀλλ' ἐξάψας διὰ τῆς θυρίδος τὸ καλῴδιον εἶτα καθίμα
δήσας σαυτὸν καὶ τὴν ψυχὴν ἐμπλησάμενος Διοπείθους.

Verba, quae haec proxime praecedunt:

μηδέν, ὦ τάν, δέδιθι μηδέν·
ὡς ἐγὼ τοῦτόν γ', ἐὰν γρύ-
ξῃ τι, ποιήσω δακεῖν τὴν
καρδίαν καὶ τὸν περὶ ψυ-
χῆς δρόμον δραμεῖν, ἵν' εἰδῇ
μὴ πατεῖν τὰ
τοῖν θεοῖν ψηφίσματα.

spectant, si Bergkium l. l. audimus, ad legem, quam idem Diopithem scripsisse coniicit de mysteriis non violandis, qua extremum supplicium constitutum esset in eum, qui contra legem fecisset: sed hanc coniecturam incertissimam esse ipse quoque vir doctissimus facile mihi concedet.

Sequitur Stilbides, ὁ (Νικίου) συνήθης καὶ τὸ πολὺ τῆς δεισιδαιμονίας ἀφαιρῶν (Plut. Nic. c. 23), qui Pac. 1032 exagitatur propter belli studium, ubi Trygaeus ait fumum sacrificii Paci instituti vexare Stilbidem.

Neminem τῶν μάντεων Aristophanes peius mulcavit quam Hieroclem, χρησμολόγον ἐξ Ὠρεοῦ oriundum (Pac. 1047, 1125), cui exagitando plus quam 80 versus in Pace impendit (1043—1127), quo loco interveniens sacrificio, quod in Pacis honorem Trygaeus instituit, primum oraculis impedire conatur, quo minus sacra fiant, quod quum minus ei procedit, saltem particeps esse vult sacrificii; sed ne hoc quidem Trygaeo permittente, exasperatus exta rapere conatur, quapropter male mulcatus abigitur. Proponitur adeo nobis tanquam omnibus iis vitiis obnoxius, quibus supra dixi vates infames esse: est igitur gulosus (1120) et ἄκλητος ad sacrificia venit; Athenienses decipit (φενακίζει 1087) et oracula canit de rebus, quae iam olim acciderunt (1058), unde perpetuum ἐπίθετον τοῦ ἀλαζόνος habet, de cuius significatione adi Hemsterhusium ad Luc. Dial. Mort. 28 p. 447. In nulla re autem Aristophanem magis offendebat, quam quod prae caeteris bello favebat et omnem lapidem movebat, quo prohiberet pacem, ne privaretur commodis, quibus belli tempore vates fruerentur (1084). Atque haec de Hierocle sufficiunt; non tamen ad alia transire possum priusquam significavero, quid sentiam de ultimo huius scenae versu (1126), ubi iubetur quantocius εἰς Ἐλύμνιον abire. Legimus in Scholio perdocto ad h. l. Καλλίστρατός φησι τόπον Εὐβοίας τὸ Ἐλύμνιον. Ἀπολλώνιος δὲ ναόν φησιν εἶναι πλησίον Εὐβοίας. νυμφικὸν δέ τινες αὐτό φασιν, ὅτι ὁ Ζεὺς τῇ Ἥρᾳ ἐκεῖ συνεγένετο. μέμνηται καὶ Σοφοκλῆς » πρὸς

πέτραις Ἐλυμνίαις," καὶ ἐν Ναυπλίῳ »νυμφικὸν Ἐλύμνιον." Videntur igitur iam veteres interpretes de situ huius loci nihil certi cognitum habuisse, nam Callistratus et Apollonius coniectura tantum videntur Elymnium in Euboea vel prope eam posuisse, quod Hierocles ex Euboea oriundus esset. Rectius alii omissa quaestione de loco, inquisiverunt qualis locus esset et statuerunt fuisse νυμφικόν; quod verum esse non solum ostendit Sophoclis testimonium, sed etiam quod haec explicatio optime loco nostro conveniat. Solebant enim in Nympharum antris esse μαντεῖα, ut v. c. constat de antro τῶν Σφραγιτίδων Νυμφῶν (Plut. Aristid. c. 11), quod inde originem duxit, quod veteres crederent Nymphas homines inspirare, et efficere, ut fatidicos furores mente conciperent, unde etiam vates nomen τῶν νυμφολήπτων traxerunt (Hesych. in voce, Plut. l. l.). Fuerit igitur Elymnium quoque νυμφικόν cum oraculo, ad quod quam apte relegari possit vates putidum sit monere.

Ultimus μάντις esto Eurycles, de quo nihil habeo quod dicam, nisi eum tanquam ἐγγαστρίμυθον memorari Vesp. 1019: ubi Aristophanes ait se primas comoedias alieno nomine docuisse,

μιμησάμενος τὴν Εὐρυκλέους μαντεῖαν καὶ διάνοιαν,
εἰς ἀλλοτρίας γαστέρας ἐνδύς.

Vatibus adiungo eos, qui aliquam artem professi sunt, ut sic ei Prosopographiae parti, quam in hoc volumine tractandam mihi elegerim, finem imponam. Initium faciam a statuariis et pictoribus, quorum Phidias, qui mihi primus tractandus foret, postea commodiore loco memorabitur, ubi ad eos, qui rempublicam administraverunt et Periclem pervenero, a quo vix separari potest.

Aequalis eius fuit Mico pictor celeberrimus, qui pinxit in Stoa Poecile pugnam Amazonum et Atheniensium, cuius picturae mentio fit Lys. 679, ubi chorus senum ait:

ἱππικώτατον γάρ ἐστι χρῆμα κἄποχον γυνή,
κοὐκ ἂν ἀπολίσθοι τρέχοντος· τὰς δ' Ἀμαζόνας σκόπει,
ἃς Μίκων ἔγραψ' ἐφ' ἵππων μαχομένας τοῖς ἀνδράσιν,

ubi miror Bergkium non restituisse solemnem locutionem ἀφ' ἵππων.

Diu post Miconem floruit Pamphilus, Apellis praeceptor. Visebatur Athenis pictura eius, in qua Heraclidae supplicabant Atheniensibus eorumque auxilium implorabant contra Eurystheum, quam memorat Aristophanes Plut. 384, ubi Blepsidemus ad Chremylum, quem suspicatur furtis divitias sibi comparasse dicit:

ὁρῶ τιν' ἐπὶ τοῦ βήματος καθεδούμενον
ἱκετηρίαν ἔχοντα μετὰ τῶν παιδίων
καὶ τῆς γυναικός, κοὐ διοίσοντ' ἄντικρυς
τῶν Ἡρακλειδῶν οὐδ' ὁτιοῦν τῶν Παμφίλου.

Haec autem pictura videtur olim periisse, nam Scholiasta annotat suo tempore picturam quidem exstitisse, in qua Heraclidae supplicantes repraesentarentur, sed Apollodori, non Pamphili opus. Et hinc fortasse explicandum est, quomodo quidam interpretes Pamphilum pro tragico habere potuerint (cf. Schol.).

Minus celebre est nomen Pausonis, quem Aristophanes propter paupertatem irridet Thesm. 949 et Plut. 602 et

propter scurrilem dicacitatem Ach. 854, si modo qui h. l. memoratur Pauso idem est atque is, qui illis locis tangitur. Duebnerus enim in Indice Scholiorum editioni subiecto eum haud dubie a pictore diversum esse dicit, eo ni fallor motus, quod in Acharnensibus non idem vitium ei exprobretur ac in duobus reliquis locis, et quod vix credibile sit, eundem in Acharnensibus et 37 annis post in Pluto notatum esse. Dubito tamen an verum viderit, primum propter Schol. Rav. qui ad Ach. 854 annotat: *οὗτος ὁ Παύσων ζωγράφος πένης σκωπτολόγος*: deinde nihil impedit quominus statuamus Pausonem provectiore aetate pauperem factum esse eiusque ingenium mordax senectute deferbuisse, ut Comicus, quum in iuvene dicacitatem notasset, in sene paupertatem irriserit. Confirmat me in hac sententia Aristoteles, qui in Poëtica c. 2 scribit, eum homines *χείρους εἰκάζειν* i. e. ut barbare dicam caricaturas facere, qui locus una cum alio e Luciani Enc. Demosth. [1]) satis declarat eum ingenio festivo et *σκωπτικῷ* fuisse.

Pictoribus succedant histriones, quippe quorum ars illorum arti valde affinis sit. Eorum tantum duo sunt, quos tangi ab Aristophane certo constat,

---

[1]) Legitur hic locus, quem debeo Fritzchio (annot. ad Thesm. 949), in cap. 24: *Παίσωνι τῷ ζωγράφῳ φασὶν ἐκδοθῆναι γράψαι ἵππον ἀλινδούμενον· τὸν δέ γε γράψαι τρέχοντα καὶ πολὺν κονιορτὸν περὶ τὸν ἵππον· ὡς δ' ἔτι ἐπιστῆναι τὸν ἐκδόντα, μέμφεσθαι, μὴ γὰρ τοῦτο προστάξαι. Τὸν οὖν Παίσωνα τοῦ πίνακος τὰ μετέωρα κάτω περιαγόντα τῷ παιδὶ τὴν γραφὴν ἐπιδεῖξαι κελεῦσαι καὶ τὸν ἵππον ἔμπαλιν κείμενον ὀφθῆναι ἀλινδούμενον.*

Hegelochus et Oeager, quorum ille perstringitur (Ran. 303) propter pinguiorem pronuntiationem versus Euripidei, qui legitur in Orest. 279:

ἐκ κυμάτων γὰρ αὔθις αὖ γαλήν' ὁρῶ·

in quibus ultima vocabula deficiente spiritu dixit *γαλῆν ὁρῶ*, sine elisionis significatione, quae res aliis quoque Comicis largam ridendi materiem praebuit; cf. Schol. Ran. ad l. l., Porsonum ad locum Euripidis et Bergkium p. 430. Praestantior fuisse videtur alter, quem nominavi, Oeager, qui, ut patet e Vesp. 580 egregie partes agebat in Niobe, undē coniicio eum histrionem Sophoclis fuisse, nam, quamvis Aeschyli quoque exstiterit Niobe, vix credo, huius fabulam loco Vesparum significari, quippe vix aptam, quae post Aeschyli mortem denuo doceretur; de qua cf. quae supra pag. 8 monuimus.

Praeter hos pro histrionibus a parte veterum interpretum habentur Cleomachus, (sic enim nonnulli veteres legebant pro Σφυρόμαχος Eccles. 22); Clidemides (Ran. 791), Dercylus (Vesp. 78), Molo (Ran. 55), quorum nomina posuisse sufficit, quia iam veteres, qui alii alia de iis commenti sunt, nihil de iis compertum habuisse videntur. Tecte denique tangi traduntur Hermo, de quo vide supra pag. 46, et Phrynichus tragoedus, Choroclis filius (Sch. Av. 750), in Nub. vs. 1091:

ΑΔ. *συνηγοροῦσιν ἐκ τίνων;*
ΔΙΚ. *ἐξ εὐρυπρώκτων.* ΑΔ. *πείθομαι,*
τί δαί; τραγῳδοῦσ' ἐκ τίνων;
ΔΙΚ. *ἐξ εὐρυπρώκτων. κτἑ.*

in quibus ad verbum *τραγῳδοῦσ'* hoc scholium ad-

scriptum est: εἰς Φρύνιχόν φασιν αὐτὸν ἀποτείνειν τὸν τραγικὸν χορευτήν· ἐπεὶ διεβάλλετο ἐπὶ μαλακίᾳ διὰ ποικιλίαν σχημάτων: quae coniectura quam incerta sit, vix est quod moneam.

Ab histrionibus transeo ad severiora studia et METONEM, ἄριστον ἀστρονόμον καὶ γεωμέτρην (Schol. ad Av. 997), qui tamen non magis quam caeteri, qui eo tempore doctrina vel ingenio insignes erant, Comici tela effugere potuit. Proponitur nobis in Avibus 992—1021 tanquam homo ineptus [1]) et vanus, qui ridicula et obscura de arte sua effutit (1000—1009), et ea, quae nescit, se pulchre scire fastuosa vanitate iactat (ἀλαζών 1016), quae, si fortasse excipias superbiam, merae calumniae videntur esse, quae magis aptae essent in ore imperitae multitudinis, quae id, quod non intelligit, contemnere et ridere solet, quam in ore acutissimi Aristophanis. Optime enim Meto artem suam callebat, ut satis superque ostendit tum Fastorum correctione, de qua cf. Ideler Handbuch d. Math. u. Techn. Chronol., tum multis utilibus operibus [2]), quae in Graecia et in Attica exstruxit, ut ipse indicat vs. 998, ubi Pisthetaero roganti, quisnam sit, satis superbe respondet: Μέτων, ὃν οἶδεν Ἑλλὰς |χὠ Κολωνός. Nesciebant autem iam veteres

[1]) Meto in hac scena prodit tanquam agrimensor, qui
γεωμετρῆσαι βούλεται τὸν ἀέρα
διελεῖν τε καιὰ γίας
(995 sq.).

[2]) Mathematici illorum temporum non solum erant agrimensores, ut modo vidimus, sed etiam mechanici, ut ex iis, quae de Archimede traduntur, notissimum est.

interpretes, quodnam illud opus eius esset, quod Coloni visebatur, ut discimus e docto scholio ad hunc locum, unde haec excerpsimus: φησὶ δὲ Καλλίστρατος ἐν Κολωνῷ ἀνάθημά τι εἶναι αὐτοῦ ἀστρολογικόν . . . . ὁ δὲ Φιλόχορος ἐν Κολωνῷ μὲν αὐτὸν οὐδὲν θεῖναι λέγει, ἐπὶ Ἀψεύδους (Ol. 86. 4) δὲ, τοῦ πρὸ Πυθοδώρου, ἡλιοτρόπιον ἐν τῇ νῦν οὔσῃ ἐκκλησίᾳ . . . . . ἴσως δὲ ἐν Κολωνῷ κρήνην τινὰ κατεσκευάσατο, quam coniecturam defendit loco e Phrynichi Monotropo, e quo demonstrat Metonem solitum fuisse κρήνας ἄγειν.

Finem faciam in Medicis, quorum unus tantum apud Aristophanem memoratur, nomine PITTALUS (Ach. 1027. 1222; Vesp. 1432), qui publice mercede conductus erat (ἐδημοσίευε Ach. 1030). Non constat, an Aristophanes eum notare voluerit, cum in Nub. vs. 332 Medicos recenset inter σοφιστάς, quos Nubes βόσκουσιν i. e. quorum ars vana et inutilis est, eosque appellat σφραγιδονυχαργοκομήτας, quo epitheto luxuriosam et desidiosam vitam iis obiicit. Caeterum merces illa publice data post bellum Peloponnesiacum in summa aerarii inopia valde imminuta esse videtur; queritur enim Aristophanes in Pluto 409:

τίς δῆτ' ἰατρός ἐστι νῦν [1]) ἐν τῇ πόλει;
οὔτε γὰρ ὁ μισθὸς οὐδέν ἐστ', οὔθ' ἡ τέχνη.

Optimi enim medici reperiebantur in ea civitate, quae plurimum mercedis licebatur (Herod. III. 131), neque igitur mirum, si tunc temporis boni medici Athenis, quae bello exhaustae non nisi parvam mercedem dare possent, non reperiebantur.

[1]) Non male nescio quis legere proposuit: τῶν ἐν τῇ πόλει.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 3 vs. 30. *Labefactatam quoque disciplinam maiorum, unde morum corruptela sui temporis ipsi originem traxisse videbatur.* Post ea quae Grote VIII p. 511 disputavit, (quae non legeram, quum verba modo l. et alia eiusdemmodi p. 23 sq. scribebam) non puto Atheniensium mores Euripidis tempore tam corruptos fuisse, quam Aristophanes, qui saepe de ea re queritur (cf. locum e Ranis p. 23 citatum et Eq. 1316—1321), arbitratur, quamvis non concedam Grotio, eos omnino nullam labem contraxisse, quia vix credo, divitias magnopere auctas, otium, amplificatum imperium et confluxum peregrinorum in urbem nullam omnino vim exercuisse in mores, neque eos aliquantum saltem corrupisse.

Pag, 4 vs. 3: *quos eius auctores esse sibi persuaserat:* leg. q. e. a. e. populo persuadebat.

Pag. 6 vs. 16. Nescio quomodo acciderit, ut omiserim nobilem locum in Ranis (867), ubi Aeschylus ait, se potius nolle certare in inferis:

> οὐκ ἐξ ἴσου γάρ ἐστιν ἀγὼν νῷν, ⏑ —
> ὅτι ἡ ποίησις οὐχὶ συντέθνηκέ μοι,
> τούτῳ δὲ συντέθνηκεν, ὥσθ' ἕξει λέγειν.

quibus verbis haud obscure indicat suam poësin immortalem esse, neque una secum mortuam, ut illam Euripidis.

Pag. 8. vs. 16. De Phormisio et Megaencto, qui

Ran. 965 dicuntur *μαθηταί* Aeschyli, postea dicetur.

Pag. 12. vs. 10. Scripsit de hac quaestione Fritzchius in ann. ad Ran. 73, ubi demonstrare conatur, Iophontem non actionem *παρανοίας* contra patrem instituisse, ut omnes inde a Cicerone (de Senect. § 22) tradiderunt, sed tantum altercationem cum patre habuisse apud curiales, quum is Sophoclem nepotem ex Aristone spurio conceptum, invito Iophonte filio legitimo, inter curiales referre liberorumque in iura asserere cuperet. Quae mihi saltem vir doct. non probavit, quum eius argumenta non satis firma videantur esse. Omnia persequi longum foret, unum vero idque praecipuum eius argumentum h. l. proponam, ne aequus lector opinetur me virum ingeniosissimum *ἄκριτον* damnare. Legitur in vita Sophoclis: *Φαίνεται δὲ καὶ παρὰ πολλοῖς ἡ πρὸς τὸν υἱὸν Ἰοφῶντα γενομένη αὐτῷ δίκη ποτέ· ἔχων γὰρ ἐκ μὲν Νικοστράτης Ἰοφῶντα ἐκ δὲ Θεωρίδος Σικυωνίας Ἀρίστωνα τὸν ἐκ τούτου γενόμενον παῖδα, Σοφοκλέα τοὔνομα, πλέον ἔστεργε, καί ποτε ἐν δράματι εἰσήγαγε τὸν Ἰοφῶντα αὐτῷ φθονοῦντα καὶ πρὸς τοὺς φράτορας ἐγκαλοῦντα τῷ πατρὶ, ὡς ὑπὸ γήρως παραφρονοῦντι· οἱ δὲ τῷ Ἰοφῶντι ἐπετίμησαν. Σάτυρος δέ φησιν αὐτὸν εἰπεῖν· εἰ μέν εἰμι Σοφοκλῆς, οὐ παραφρονῶ, εἰ δὲ παραφρονῶ, οὐκ εἰμὶ Σοφοκλῆς, καὶ τότε τὸν Οἰδίποδα παραναγνῶναι.* Fritzchius verba *ἐν δράματι εἰσήγαγε* quae compilatoris, qui hanc vitam conscribillavit, stupore dignissima sunt, pro corruptis habet et suo Marte locum sic constituit: *καί ποτε ἐς τοὺς φράτορας εἰσῆγε. Λέγουσιν οὖν μὴ ἐᾶσαι αὐτὸν εἰσαγαγεῖν τὸν Ἰοφῶντα κτἑ.*, quae coniectura si probabitur, me iudice, actum est de re critica. — Longe me-

lius de hac quaestione scripsit amicissimus Naber in Vita Sophoclis (edita in Miscell. Phil. et Paed. Fasc. II. 1851) p. 59 sqq. Primum docet actione παρανοίας peti bonorum interdictionem contra eos, qui rem familiarem negligerent: et deinde quaerit, quid Sophocles fecèrit, propter quod filii actionem illam in eum intendere constituerint. Quum igitur Nabero recte minus placeret ratio Ciceronis, qui l. l. scribit eum propter tragoediarum componendarum studium rem familiarem neglexisse, ipse ingeniosius quam verius coniecit, Iophontem patri actionem παρανοίας intulisse, quod aegerrime ferret patrem meretricem Archippam heredem instituisse, ut auctore Hegesandro tradit Athenaeus p. 592. Quae coniectura ideo minus placet, quod testamenta post mortem demum testatoris aperiebantur et Iophon adeo resciscere non poterat, quid in testamento scriptum esset, et si maxime rescivisset, non actionem παρανοίας, sed inofficiosi testamenti intendisset. Sed videtur narratiuncula illa de Archippa Sophoclis herede instituta tota quanta ficta esse, nemo enim facile dixerit, cur tandem Sophocles hoc fecisset, διότι ὁ νόμος αὐτὸς ἀποδίδωσι τῷ υἱεῖ τὰ τοῦ πατρὸς καὶ οὐδὲ διαθέσθαι ἐᾷ, ὅτῳ ἂν ὦσι παῖδες γνήσιοι (Isaeus de Philoct. § 28).

Pag. 12. vs. 27. De Iophonte adde Schol. Venet. ad Ran. 78. οὐ μόνον ἐπὶ τῷ ταῖς πατρὸς τραγῳδίαις ἐπιγράφεσθαι κωμῳδεῖται, ἀλλ' ἐπὶ τῷ καὶ (l. ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῷ) ψυχρὸς καὶ μακρὸς (Thom. Mag. μαλακὸς) εἶναι.

Pag. 14. vs. 25. Non addidi Ran. 1353:

ΔΙΟ. ταυτὶ πότερ' αὐτὸς εὗρες ἢ Κηφισοφῶν;
ΕΥΡ. ἐγὼ μόνος, τὰς δ' ὀξίδας Κηφισοφῶν.

quod versus illi valde insulsi Aristophane indigni sunt, unde iam Aristarchus et Apollonius eos una cum vs. 1437—1441 obelo notarunt et horum exemplo multi recentiores Ranarum editores, in quibus nuperrime Bergkius, uncis incluserunt.

Pag. 15. vs. 11. Iam Hermannus Praef. Nub. p. XVIII. coniecerat Εὐριπίδῃ, sed invento uti nesciit.

Pag. 16. vs. 2. Iniuria Bergkius (II. p. 1145, 1176) Euripidem peti putavit notissimis versiculis (fr. 231):

ὁ δ' αὖ Σοφοκλέους τοῦ μέλιτι κεχριμένου
ὥσπερ καδίσκου περιέλειχε τὸ στόμα.

multo melius enim in alium v. c. Iophontem, ut Dindorfius voluit, conveniunt, quam in Euripidem, cuius poësis toto coelo ab ea Sophoclis diversa erat. Huius enim μέλη, ut recte observat Dio Prusaeus, qui versus istos laudavit, οὐκ ἔχει πολὺ τὸ γνωμικὸν οὐδὲ τὴν πρὸς ἀρετὴν παράκλησιν ὥσπερ τὰ τοῦ Εὐριπίδου, ἡδονὴν δὲ θαυμαστὴν καὶ μεγαλοπρέπειαν, ὥστε μὴ εἰκῇ τοιαῦτα περὶ αὐτοῦ τὸν Ἀριστοφάνη λέγειν.

Pag. 17. vs. 9. Dicitur Euripides ἄμουσος ab Agathone Thesm. 159, recte enim Fritzchius vidit ad eum alludi in verbis:

ἄλλως τ' ἄμουσόν ἐστι ποιητὴν ἰδεῖν
ἀγρεῖον ὄντα καὶ δασύν.

alebat enim Euripidés barbam (Th. 190). — In iis quae statim sequuntur Euripides ait ad Agathonem, se quum ea aetate esset, qua Agathon, non minus mollem et delicatum quam eum fuisse, in quibus quid verum sit ego nequeo diiudicare.

Pag. 20. vs. 16. Perstringitur argumentum Telephi Ach. 440 sqq. ubi Dicaeopolis ab Euripide petit, ut

det sibi Telephi ῥακώματα:

δεῖ γάρ με δόξαι πτωχὸν εἶναι τήμερον,
εἶναι μὲν ὅσπερ εἰμί, φαίνεσθαι δὲ μή·
τοὺς μὲν θεατὰς εἰδέναι μ' ὅς εἰμ' ἐγώ,
τοὺς δ' αὖ χορευτὰς ἠλιθίους παρεστάναι,
ὅπως ἂν αὐτοὺς ῥηματίοις σκιμαλίσω.

sic enim malo statuere, quam in genere notari Euripidem, qui, ut recte Schol. ad h. l. observat, εἰσάγει τοὺς χοροὺς οὔτε τὰ ἀκόλουθα φθεγγομένους τῇ ὑποθέσει, ἀλλ' ἱστορίας τινὰς ἀπαγγέλλοντας, ὡς ἐν ταῖς Φοινίσσαις, οὔτε ἐμπαθῶς ἀντιλαμβανομένους τῶν ἀδικηθέντων, ἀλλὰ μεταξὺ ἀντιπίπτοντας: cf. Schol. ad Phoen. 1021 cum not. Valckenaerii.

Pag. 21. vs. 3. Hypsipyle Euripidis castigatur Ran. 1304 sq., ubi Aeschylus ad imitationem Euripidis carmen recitaturus, ait:

ἐνεγκάτω τις τὸ λύριον. καίτοι τί δεῖ
λύρας ἐπὶ τοῦτον; ποῦ 'στιν ἡ τοῖς ὀστράκοις
αὕτη κροτοῦσα; δεῦρο Μοῦσ' Εὐριπίδου,
πρὸς ἥνπερ ἐπιτήδεια ταῦτ' ᾄδειν μέλη.

Annotat enim Scholiasta: λέγεται εἰς τὴν Ὑψιπύλην ταῦτα, cum quo cf. corruptum lemma Photii: κροταλίζειν, οὐ διὰ τῶν χειρῶν κροτεῖν, ἀλλὰ διὰ κροτάλου τῆς κροταλισάσης ὡς Εὐριπίδης, φησὶν ὁ Κωμικὸς περὶ τῆς Ὑψιπύλης λέγων, ex quibus indiciis ingeniose Fritzchius suspicatur, Aristophanem h. l. notare Euripidem, quod Hypsipylen induxerit crepitaculo utentem pueri Opheltae causa, quem nutriebat [1]), et Musam

[1]) Wagnerus quoque, qui non e Fritzchio profecisse videtur, in Fragm. Euripid. Editione p. 797 probabile putat Hypsipylen crotalorum sonos cum cantu coniungentem esse introductam.

illam fuisse crotalistriam habitu et ornatu tragico Hypsipyles, cuius recens adhuc erat memoria, quum constet e Schol. Ran. 53 eius nominis fabulam brevi ante Ranas doctam esse.

Pag. 21. vs. 10: *eum* l. ipsum.

Pag. 21. vs. 16. Consulto omisi locum, qui legitur Ran. 849, ubi Aeschylus Euripidem compellat his verbis:

ὦ Κρητικὰς μὲν συλλέγων μονῳδίας.

cum non constet, quomodo locus explicandus sit. Non lubet h. l. adscribere veterum conatus, qui non sunt unius assis, melius ni fallor lectori consulam, si h. l. proposuero Fritzchii [2]) sententiam, quae si non certa tamen reliquis multo probabilior est. Refutatis nempe Scholiastis, qui opinabantur Κρητικὰς μονῳδίας ad unam quamdam tragoediam spectare, suspicatur eas intelligendas esse de carminibus hyporchemati simillimis, quae actor saltans cantaret, propter locum Sosibii apud Schol. Pind. Pyth. II. 127: Σωσίβιος δὲ τὰ ὑπορχηματικὰ μέλη πάντα Κρητικὰ λέγεσθαι. Exprobrat igitur Aristophanes secundum eum Euripidi, quod, cum apud priores tragicos constans et perpetua lex esset, ut alii saltarent, alii canerent, is vetere more relicto monodias introduceret, quarum pleraeque saltationem haberent.

Pag. 22. vs. 22. *Numeri erant effeminati, soluti, molles et vere* ἐκλελυμένοι. Addendum erat eos maximam partem esse glyconeos polyschematistos, de

[2]) Metuo enim ut eius Ranarum editio in nostra patria in multorum manibus sit.

quibus [cf. Hermannum in Elem. Doctr. Metr. p. 520 sqq. Non possum quin adscribam, quae rectissime de eorum usu apud poëtas Graecos annotavit p. 523, quum egregie faciant ad nostram rem. »Liberius usi »sunt hoc genere metri Lyrici Aeolenses et ut vere »hos versus polyschematistos facerent. Recepti in »poësin scenicam, in antiquissima tragoedia parce et »non ut polyschematici usurpabantur. Sed iam Sopho»cles et saepius iis usus est, et ut licentiam poly»schematistorum admitteret. Recentior autem tra»goedia, labente paullatim pristina gravitate, ita »frequentavit hoc metrum, ut iam pene proprium et »necessarium in tragoedia haberetur. Atque Euripi»des, quo quaeque recentior est eius fabularum, tanto »plus sibi licentiae indulsit, adeo ut vel a Comicis, »qui vix sibi idem licere arbitrabantur, ob eam rem »reprehenderetur."

Pag. 22. vs. 31. Quum non recens sim ab Euripidis lectione, non audeo diiudicare, an Schol. ad Ran. 1323:

ΑΙΣ. *ὁρᾷς τὸν πόδα τοῦτον*; ΔΙΟ. *ὁρῶ*.
ΑΙΣ. *τί δαί*; *τοῦτον ὁρᾷς*; ΔΙΟ. *ὁρῶ*.

vere annotaverit: *ὡς καὶ τοιαῦτα ἀμοιβαῖα ἐν τοῖς μέλεσιν ἐπιτηδεύοντος* Εὐριπίδου.

Pag. 23. vs. 13. Multo verius de causis, quae indolem tragoediae mutaverunt, disseruit Grote VIII. p. 441. sqq. cuius sententia huc fere redit: »Such »differences between these three great poets are doubt»less referable to the working of Athenian politics and »Athenian philosophy on the two later."

Pag. 45 ult. Iam Bergkius vidit Scholium Brunckianum nunc adscriptum ad vs. 533 referendum esse ad vs. 537: vid. Comm. p. 271.

Pag. 62 vs. 14. *In eum locum inferorum, ubi est βόρβορος πολὺς καὶ σκῶρ ἀείνων.* Teste Platone in Phaedone p. 69 c. *ὃς ἂν ἀμύητος καὶ ἀτέλεστος εἰς ᾅδου ἀφίκηται, ἐν βορβόρῳ κείσεται*, ad quem locum vide notam Heindorfii, qui praetermisit nostrum locum citare.

Pag. 62 vs. 26. De gracilitate Cinesiae addere potuissem Ran. 1437:

εἴ τις πτερώσας Κλεόκριτον Κινησίᾳ
αἴροιεν αὖραι πελαγίαν ὑπὲρ πλάκα.

nisi locus iste manifesto interpolatus esset: vide Add. ad pag. 14 vs. 25.

Pag. 64. vs. 16. Adde *τοῖς χοροδιδασκάλοις* Callimachum hominem obscurissimum, qui non nisi in Eccles. vs. 809 memoratur:

ΑΝ. Β. *Καλλίμαχος δ' ὁ χοροδιδάσκαλος*
αὐτοῖσιν εἰσοίσει τι; ΑΝ. Α. *πλείω Καλλίου.*

quo loco dubius haereo, utrum eius avaritia an paupertas notetur; Schol. Rav. annotat: *καὶ οὗτος πένης καὶ χαμαιδιδάσκαλος* (Port. *χοροδιδάσκαλος*).

Pag. 72. vs. 16. Sententiam meam de significatione vocabuli *σοφός* non convellit proverbium *Προδίκου σοφώτερος* (Ep. Socr. 13. p. 18. Orell. et Apost. Cent. XIV. n. 76.), recte enim Clar. Geel in Hist. Soph. p. 129 arbitratur hoc proverbium serioribus demum temporibus ortum esse, cum fabula Prodicia de Hercule in bivio in omnium ore esset.

Pag. 72. vs. 28. Metuo, ut *περὶ τῶν μετεώρων* recte verterim *de rebus coelestibus*, credo enim h. l. *τὰ*

μετέωρα habere latiorem significationem, et π. τ. μ. vertendum fuisse *de natura rerum*, quod melius conveniat loco Avium et verbis Ciceronis (de Orat III. 32): »quid de Prodico Ceo, quid de Thrasymacho Chalcedonio, quid de Protagora Abderita loquar? quorum »unusquisque plurimum temporibus illis etiam de natura rerum disseruit."

Pag. 75. vs. 24. Adde Socratem μὴ κάμνειν μήθ' ἑστῶτα, μήτε βαδίζοντα, quod vere tradit Aristophanes vs. 415: ex Symposio enim Platonis (p. 175, a. 220 c.) constat eum per totas horas interdum meditabundum in via stare solitum fuisse.

Pag. 76. vs. 9. *Socrates habet ludum literarium.* Defendit se ab hoc crimine Socrates in Platonis Apol. p. 33. a: ἀλλ' ἐγὼ διὰ παντὸς τοῦ βίου δημοσίᾳ τ' εἴ πού τι ἔπραξα, τοιοῦτος φανοῦμαι, καὶ ἰδίᾳ ὁ αὐτὸς οὗτος, οὐδενὶ πώποτε ξυγχωρήσας οὐδὲν παρὰ τὸ δίκαιον οὔτ' ἄλλῳ οὐδὲ τούτων οὐδενί, οὓς οἱ διαβάλλοντές μέ φασιν ἐμοὺς μαθητὰς εἶναι, ἐγὼ δὲ διδάσκαλος μὲν οὐδενὸς πώποτ' ἐγενόμην· εἰ δέ τίς μου λέγοντος καὶ τἀμαυτοῦ πράττοντος ἐπιθυμεῖ ἀκούειν εἴτε νεώτερος εἴτε πρεσβύτερος, οὐδενὶ πώποτ' ἐφθόνησα. Hinc Xenophontem et Platonem videmus nomen μαθητῶν nunquam Socraticis dare.

Pag. 78. vs. 15. Non Socrati hoc obiiciendum erat, sed Prodico, de quo vide supra, et praesertim Hippiae, de cuius astronomicis et physicis studiis locus classicus est in Platonis Protag. p. 315 c: ἐφαίνοντο δὲ περὶ φύσεώς τε καὶ τῶν μετεώρων ἀστρονομίκ' ἄττα διερωτᾶν τὸν Ἱππίαν: cl. Hipp. min. p. 367 e. et Hipp. mai. 285 b.

Pag. 79. vs. 10. *Eorum animos Sophistarum more praeparat studiis grammaticis.* Cf. Plato Euthydem. p. 277 e. νῦν οὖν νόμισον τὰ πρῶτα τῶν ἱερῶν ἀκούειν τῶν σοφιστικῶν, πρῶτον γὰρ, ὥς φησι Πρόδικος, περὶ ὀνομάτων ὀρθότητος μαθεῖν δεῖ.

Pag. 80. vs. 28. Tanquam ψυχαγωγός Socrates proponitur Av. 1553: πρὸς δὲ τοῖς Σκιάποσιν λίμνη τις ἔστ', ἄλουτος οὗ ψυχαγωγεῖ Σωκράτης: ad quem locum Scholiasta annotat: ἐπειδὴ λιτοὶ οἱ φιλόσοφοί εἰσι καὶ ἄτροφοι, διὰ τοῦτο παρέλαβε τοὺς Σκιάποδας, ludit igitur in syllaba σκια-, sunt enim proprie σκιάποδες, ut verbis utar Ctesiae apud Suidam, fabulosum illud hominum genus, οἳ τούς τε πόδας ὡς χῆνες ἔχουσι κάρτα πλατέας, καὶ ὅταν θέρμη ᾖ, ὕπτιοι ἀναπεσόντες ἄραντες τὰ σκέλη, σκιάζονται τοῖς ποσίν. Additum autem est λίμνη, quod ad lacus solebant evocare animas ex Orco (Davis. ad Cic. Tusc. I. 16 et Wessel. ad Diodor. I. p. 267). Caeterum Suevernius tractat hunc locum p. 69 in Commentatione de Nubibus, cuius inspiciendi copia non fuit.

Pag. 80. vs. ult. Dele vocabula: *Imprimis autem in hac disputatione.*

Pag. 81. vs. 13. Grote non videtur cognovisse, saltem non legisse egregiam Clar. Geelii Historiam Criticam Sophistarum; quippe pag. 486, ubi virorum doctorum, qui Sophistas tractarunt, praecipuos recenset, Ritterum aliosque, qui universam Graecae philosophiae historiam scripserunt, nominat, Geelii monographiae ne mentionem quidem facit, quam si legisset, non dubito quin aequius iudicasset de iis, qui ante ipsum de Sophistis scripserunt.

Pag. 82. vs. ult. *Dum Sophistae, quamdiu Athenis commorarentur, raro sui copiam plebi facerent.* Non alias credo, nisi quum publice a suis civitatibus legati missi sive in Senatu sive in comitiis verba facerent, cuius rei indicium est in verbis Platonis in Hippia min. p. 282 b. ubi Socrates de Gorgia ait: Γοργίας δεῦρο ἀφίκετο δημοσίᾳ οἴκοθεν πρεσβεύων καὶ ἔν τε τῷ δήμῳ ἔδοξεν ἄριστα εἰπεῖν καὶ ἰδίᾳ ἐπιδείξεις ποιούμενος καὶ συνὼν τοῖς νέοις χρήματα πολλὰ εἰργάσατο: et de Prodico: οὗτος πολλάκις μὲν καὶ ἄλλοτε δημοσίᾳ ἀφίκετο, ἀτὰρ τὰ τελευταῖα ἔναγχος ἀφικόμενος δημοσίᾳ ἐκ Κέω λέγων τ' ἐν βουλῇ πάνυ εὐδοκίμησε, καὶ ἰδίᾳ ἐπιδείξεις ποιούμενος καὶ τοῖς νέοις συνὼν χρήματα ἔλαβε θαυμαστὰ ὅσα: in quibus locis eorum orationes in Comitiis et Senatu habitae accurate opponuntur ταῖς ἐπιδείξεσιν, pro quibus mercedem exigebant. Caeterum Hippias, qui saepius legationes pro sua patria obibat, raro Athenas veniebat (Plat. Hipp. mai. p. 281 b.); Protagoras tandem, quem publico munere functum esse nusquam legitur, τὰ πολλὰ ἔνδον διέτριβε (Plat. Prot. p. 311).

Pag. 83. vs. 5. *Socratem multi hoc quoque nomine oderant, quod ipsis ἐπειρᾶτο δεικνύναι, ὅτι οἴοιντο μὲν εἶναι σοφοί, εἶεν δ' οὔ.* Erant, qui eius disputandi rationem tam aegre ferrent, ut eum βιαιότερον ἐν ταῖς ζητήσεσι διαλεγόμενον pugnis caederent, pervellerent, vel calce percuterent, auctore Demetrio Byzantino apud Diog. Laert. II. 5. 6.

Pag. 86. vs. 16. Quaenam ratio Socrati cum Alcibiade intercesserit vide apud Grote VII. p. 486.

INDEX.

Aeschylus, 4 sqq. 100.
Aesopus, 56 sq.
Agathon, 26 sqq.
Alcaeus, 58.
Amipsias, 51.
Anacreon, 58.
Archippus, 52.
Arignotus, 68.
Ariphrades, 68 sq.
Artemo, 64.
Bacis, 89.
Callimachus, 107.
Carcinus, 31.
Carcini filii, 31 sqq.
Cecides, 60.
Cephisophon, 14, 25 sq. 102.
Chaerephon, 87 sq.
Chaeris, 69 sq.
Choerile, 14.
Cinesias, 61 sqq. 107.
Cleomachus, 97.
Clidemides, 97.
Clitagora, 57 sq.
Connas, 65 sq.
Crates, 43 sq.
Cratinus Comicus, 41 sqq. 48, 50 not., 52.
Cratinus poëta, 64.
Datis, 34.
Demotimus, 33.
Dercylus, 97.
Dexitheus, 67.
Diagoras, 74 sq.
Diopithes, 91 sq.
Dithyrambici, 61.
Eupolis, 46 sqq.
Euripides, 13 sqq. 103 sqq.
Eurycles, 94.
Execestides, 66 sqq.
Fatidici, 89 sq.

Gorgias, 73 sq.
Hegelochus, 97.
Hermippus, 45 sq.
Hermo, 46.
Hesiodus, 55.
Hierocles, 93 sqq.
Hipponax, 58 sq.
Homerus, 55.
Ibycus, 58.
Io, 60.
Iophon, 12, 102.
Lampo, 91.
Lasus, 59.
Lycis, 51.
Magnes, 41.
Medici, 99.
Melanthius, 36.
Melanthii frater, 36.
Meletus, 37 sq.
Meto, 98 sq.
Mico, 95.
Mnesilochus, 14, 26.
Molo, 97.
Morsimus, 36.
Moschus, 67.
Musaeus, 55.
Oeager, 97.
Olympus, 55 sq.
Orpheus, 54.
Pamphilus, 95.
Pauso, 95 sq.
Pherecrates, 45.
Phidias, 94.
Philippus, 73.
Philocles, 35.
Philoxenus, 63.
Phrynes, 60.
Phrynichus Comicus, 50 sq.
Phrynichus histrio, 3 sq. 97.
Phrynichus Tragicus, 2 sq.
Pittalus, 99.
Plato Comicus, 51 sqq.
Polymnestus, 69.
Prodicus. 72, 107.
Pronomus, 70.
Pythangelus, 37.
Sannyrio, 53.
Sibylla, 89.
Simermo, 45.
Simonides Ceius, 59.
Socrates, 13, 16, 73 sqq. 108 sqq.
Sophocles, 11 sqq. 101 sq.
Stilbides, 92.
Thales, 71.
Theognis, 36.
Thespis, 2.
Thyrsus, 70.
Xenarchus, 33.
Xenocles, 33 sqq.
Xenoclitus, 34.
Xenotimus, 33.

THESES.

I.

Aristoph. Ach. 93.

ΠΡ. καὶ νῦν ἄγοντες ἥκομεν Ψευδαρτάβαν
τὸν βασιλέως ὀφθαλμόν. ΔΙΚ. ἐκκόψειέ γε
κόραξ πατάξας τόν γε σὸν τοῦ πρέσβεως

Lege τε.

II.

Ibid. 238.

ΔΙΚ. εὐφημεῖτε, εὐφημεῖτε.
ΧΟΡ. σῖγα πᾶς. ἠκούσατ' ἄνδρες ἆρα τῆς εὐφημίας;

Lege ἄρτι.

III.

Ibid. 319.

ΧΟΡ. εἰπέ μοι, τί φειδόμεσθα τῶν λίθων, ὦ δημόται,
μὴ οὐ καταξαίνειν τὸν ἄνδρα τοῦτον ἐς Φοινικίδα;

Lege τουτονί.

IV.

Equit. 313.

ὅστις ἡμῶν τὰς Ἀθήνας ἐκκεκώφηκας βοῶν,
κἀπὸ τῶν πετρῶν ἄνωθεν τοὺς φόρους θυννοσκοπῶν.

Lege ἐκκεκώφωκας et θυννοσκοπεῖς.

Gorgias, 73 sq.
Hegelochus, 97.
Hermippus, 45 sq.
Hermo, 46.
Hesiodus, 55.
Hierocles, 93 sqq.
Hipponax, 58 sq.
Homerus, 55.
Ibycus, 58.
Io, 60.
Iophon, 12, 102.
Lampo, 91.
Lasus, 59.
Lycis, 51.
Magnes, 41.
Medici, 99.
Melanthius, 36.
Melanthii frater, 36.
Meletus, 37 sq.
Meto, 98 sq.
Mico, 95.
Mnesilochus, 14, 26.
Molo, 97.
Morsimus, 36.
Moschus, 67.
Musaeus, 55.
Oeager, 97.
Olympus, 55 sq.
Orpheus, 54.
Pamphilus, 95.
Pauso, 95 sq.
Pherecrates, 45.
Phidias, 94.
Philippus, 73.
Philocles, 55.
Philoxenus, 63.
Phrynes, 60.
Phrynichus Comicus, 50 sq.
Phrynichus histrio, 3 sq. 97.
Phrynichus Tragicus, 2 sq.
Pittalus, 99.
Plato Comicus, 51 sqq.
Polymnestus, 69.
Prodicus. 72, 107.
Pronomus, 70.
Pythangelus, 37.
Sannyrio, 55.
Sibylla, 89.
Simermo, 45.
Simonides Ceius, 59.
Socrates, 13, 16, 75 sqq. 108 sqq.
Sophocles, 11 sqq. 101 sq.
Stilbides, 92.
Thales, 71.
Theognis, 36.
Thespis, 2.
Thyrsus, 70.
Xenarchus, 33.
Xenocles, 33 sqq.
Xenoclitus, 34.
Xenotimus, 33.

THESES.

I.

Aristoph. Ach. 93.

ΠΡ. καὶ νῦν ἄγοντες ἥκομεν Ψευδαρτάβαν
τὸν βασιλέως ὀφθαλμόν. ΔΙΚ. ἐκκόψειέ γε
κόραξ πατάξας τόν γε σὸν τοῦ πρέσβεως

Lege τε.

II.

Ibid. 238.

ΔΙΚ. εὐφημεῖτε, εὐφημεῖτε.
ΧΟΡ. σῖγα πᾶς. ἠκούσατ' ἄνδρες ἄρα τῆς εὐφημίας;

Lege ἄρτι.

III.

Ibid. 319.

ΧΟΡ. εἰπέ μοι, τί φειδόμεσθα τῶν λίθων, ὦ δημόται,
μὴ οὐ καταξαίνειν τὸν ἄνδρα τοῦτον ἐς Φοινικίδας;

Lege τουτονί.

IV.

Equit. 313.

ὅστις ἡμῶν τὰς Ἀθήνας ἐκκεκώφηκας βοῶν,
κἀπὸ τῶν πετρῶν ἄνωθεν τοὺς φόρους θυννοσκοπῶν.

Lege ἐκκεκώφωκας et θυννοσκοπεῖς.

V.

Ibid. 416.

ΚΛΕ. ἀπομαγδαλίας ὥσπερ κύων; ὦ παμπόνηρε, πῶς οὖν
κυνὸς βορὰν σιτούμενος μαχεῖ σὺ Κυνοκεφάλλῳ;

Lege Κυνοκεφάλῳ σύ;

VI.

Ibid. 639.

ΑΛΛ. ταῦτα φροντίζοντί μοι
ἐκ δεξιᾶς ἀπέπαρδε καταπύγων ἀνήρ,
κἀγὼ προσέκυσα.

Iocus periit. Lege ἐπέπαρδε et cf. ἐπέπταρε.

VII.

Ibid. 706.

ΚΛ. ἐν τῷ ξύλῳ δήσω σε νὴ τὸν οὐρανόν.
ΑΛΛ. ὡς ὀξύθυμος. φέρε τί σοι δῶ καταφαγεῖν;

Lege ὀξυθυμεῖ.

VIII.

Ibid. 811.

ΚΛ. οὔκουν δεινὸν ταυτί σε λέγειν δῆτ' ἐστ' ἐμέ καὶ
(διαβάλλειν
πρὸς Ἀθηναίους καὶ τὸν δῆμον;

Lege πρὸς τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων.

IX.

Ibid. 819.

ΑΛΛ. κἀκεῖνος μὲν φεύγει τὴν γῆν, σὺ δ' Ἀχιλλείων
Requiritur dativus Ἀχιλλείοις. (ἀπομάττει.

X.

Nub. 322.

ΣΤΡ. ὥστ' εἴ πως ἔστιν, ἰδεῖν αὐτὰς ἤδη φανερῶς
Lege φανεράς. (ἐπιθυμῶ.

XI.

Ibid. 423.

ΣΩΚ. ἄλλο τι δῆτ' οὖν νομιεῖς ἤδη θεὸν οὐδένα πλὴν
Lege ἄλλο τι οὖν ἢ. (ἅπερ ἡμεῖς;

XII.

Ibid. 825.

ΦΕΙΔ. ἰδού· τί ἔστιν; ΣΤΡ. ὤμοσας νυνὶ Δία.

Lege νυνδή.

XIII.

Ibid. 1114.

ΧΠΡ. χωρεῖτέ νυν. οἶμαι δέ σοι ταῦτα μεταμελήσειν.
τοὺς κριτὰς ἃ κερδανοῦσιν κτὲ.

Lege κριτὰς δ' ἃ.

XIV.

Vesp. 342.

ΧΟΡ. τοῦτ' ἐτόλμησ' ὁ μιαρὸς χα-
νεῖν ὁ Δημολογοκλέων ὅδ'.

Lege Μισολογοκλέων.

XV.

Ibid. 713.

ΦΙΛ. οἴμοι τί ποθ' ὥσπερ νάρκη μου κατὰ τῆς χειρὸς
(καταχεῖται
καὶ τὸ ξίφος οὐ δύναμαι κατέχειν, ἀλλ' ἤδη μαλ-
(θακός εἰμι.

Lege partim ex Suida, partim e coniectura
οἴμοι τί πέπονθ'; ὥσπερ νάρκη μου τῆς χειρὸς καταχ.

XVI.

Ibid. 807.

ΒΔΕΛ. ἀμὶς μέν, ἣν οὐρητιάσῃς, αὐτῇ
παρὰ σοὶ κρεμήσετ' ἐγγὺς ἐπὶ τοῦ παττάλου.

Lege ἀπὸ τ. π.

XVII.

Ibid. 826.

ΒΔΕΛ. *Φέρε νυν, τίν' αὐτῷ πρῶτον εἰσάγω δίκην;*
τί τις κακὸν δέδρακε τῶν ἐν τῷκίᾳ;

Legendum *τίς κακόν* et *εἰσαγάγω*.

XVIII.

Pac. 66.

ΟΙΚ. *ἃ δ' εἶπε πρῶτον ἡνίκ' ἤρχεθ' ἡ χολή,*
πεύσεσθ'.

Lege *ἃ δ' εἶπεν ἡνίκα πρῶτον ἤ. ἡ. χ.*

XIX.

Ibid. 174.

ΤΡΥΓ. *ὦ μηχανοποιέ, πρόσεχε τὸν νοῦν ὡς ἐμέ.*

Lege *ὁ μηχανοποιός.*

XX.

Ibid. 192.

ΕΡΜ. *ἥκεις δὲ κατὰ τί;* ΤΡ. *τὰ κρέα ταυτί σοι φέρων.*

Lege *φέρω.*

XXI.

Ibid. 220.

ΤΡΥ. *ὁ γοῦν χαρακτὴρ ἡμεδαπὸς τῶν ῥημάτων.*

Versus spurius est.

XXII.

Ibid. 259.

ΠΟΛ. ΟΙCΕΙC *ἀλετρίβανον τρέχων;* ΚΥΔ. *ἀλλ', ὦ μέλε,*
οὐκ ἔστιν ἡμῖν· ἐχθὲς εἰσῳκίσμεθα.

Lege *οἶσ' οἶσ' ἀλετρίβανον τρέχων.* ΚΥΔ *ἀ. ὦ. μ.*
οὐκ ἔστιν ἡμῖν· χθὲς γὰρ εἰσῳκίσμεθα.

XXIII.

Ibid. 603.

ΕΡΜ. *ὦ σοφώτατοι γεωργοί, ταμὰ δὴ ξυνίετε*
ῥήματ'.

Lege e Diodoro XII. 40 *ὦ λιπερνῆτες πολῖται.*

XXIV.

Av. 150.

ΕΠ. *τί οὐ τὸν Ἡλεῖον Λέπρεον οἰκίζετον*
ἐλθόνθ'; ΕΥ. *ὁτιὴ νὴ τοὺς θεούς, ὃς οὐκ ἰδὼν*
βδελύττομαι τὸν Λέπρεον ἀπὸ Μελανθίου.

Locum, qui nunc sensu caret, restitue signo interrogationis ponendo post *ὁτιή*.

XXV.

Ibid. 588.

ΠΕΙΣ. *καὶ τὸ δόρυ χρή, τὸν ὀβελίσκον,*
περιπατεῖν, ἔχοντας ἡμᾶς.

Dele *τὸν ὀβελίσκον.*

XXVI.

Ibid. 462.

ΠΕΙΣ. *καὶ μὴν ὀργῶ νὴ τὸν Δία καὶ προπεφύρται λόγος*
ὃν διαμάττειν οὐ κωλύει. (*εἶς μοι,*

Lege *ἡμῖν.*

XXVII.

Ibid. 525.

ΠΕΙΣ. *ὥσπερ δ' ἤδη τοὺς μαινομένους*
βάλλουσ' ὑμᾶς, κἂν τοῖς ἱεροῖς
πᾶς τις ἐφ' ὑμῖν ὀρνιθευτὴς
ἵστησι βρόχους.

Lege *βάλλουσ' ὑμᾶς κἂν τοῖσιν ἄγροις πᾶς τις κτἑ.*

XXVIII.

Ibid. 610.

ΕΥ. *αἰβοῖ, ὡς πολλῷ κρείττους οὗτοι τοῦ Διὸς ἡμῖν βα-*
ΠΕΙΣ. *οὐ γὰρ πολλῷ;* . . . . . (*σιλεύειν*
[*καὶ*] *πρῶτα μὲν οὐχὶ νεὼς ἡμᾶς*
οἰκοδομεῖν δεῖ λιθίνους αὐτοῖς.

Primum cum Brunckio et Cobeto lege *βαβαῖ* pro *αἰβοῖ*.

Deinde caetera sic constituo:

ΠΕΙΣ. οὐ γάρ; πρῶτον μέν γ' οὐχὶ νεὼς
οἰκοδομεῖν δεῖ λιθίνους αὐτοῖς.

in quibus πρῶτον est lectio optimorum Codicum: γ' iam intulerunt Bentleius et Reisigius.

XXIX.

Ibid. 663.

ΕΤΕΛ. ἐκβίβασον αὐτοῦ πρὸς θεῶν αὐτήν, ἵνα
καὶ νὼ θεασώμεσθα τὴν ἀηδόνα.

Lege ὦ πρὸς τῶν θεῶν.

XXX.

Ibid. 698.

ΧΟΡ. οὗτος δὲ Χάει πτερόεντι μιγεὶς νυχίῳ κατὰ Τάρτα-
ἐνεόττευσεν γένος ἠμέτερον, κτέ. (ρον εὐρὺν

Lege νύχιος.

XXXI.

Ibid. 888.

Catalogo avium addendum e Scholiasta:

καὶ τῷ ἐρισάλπιγγι.

XXXII.

Ibid. 1271.

ΚΗΡ. ὦ Πισθέταιρ', ὦ μακάρι', ὦ σοφώτατε,
ὦ κλεινότατ', ὦ σοφώτατ', ὦ γλαφυρώτατε,
ὦ τρισμακάρι', ὦ κατακέλευσον.

Dele primum versum.

XXXIII.

Ibid. 1583.

ΗΡΑ. τὰ δὲ κρέα τοῦ ταῦτ' ἐστίν; ΠΕΙ. ὄρνιθές τινες
ἐπανιστάμενοι τοῖς δημοτικοῖσιν ὀρνέοις
ἔδοξαν ἀδικεῖν.

Lege ποτ' ἐστίν;

XXXIV.

Lys. 70.

ΜΥΡ. μῶν ὕστεραι πάρεσμεν, ὦ Λυσιστράτη;
τί φῄς; τί σιγᾷς; ΛΥΣ. οὐκ ἐπαινῶ, Μυρρίνη,
ἥκουσαν ἄρτι περὶ τοιούτου πράγματος.

Lege οὔ σ'.

XXXV.

Ibid. 81.

ΛΥΣ. ὡς δ' εὐχροεῖς, ὡς δὲ σφριγᾷ τὸ σῶμά σου.
κἂν ταῦρον ἄγχοις. ΛΑΜ. μάλα γὰρ οἷῶ ναὶ σιώ·
γυμνάδδομαί γα καὶ ποτὶ πυγὰν ἅλλομαι.

Lege γυμνάδδομαι γάρ.

XXXVI.

Ibid. 153.

ΛΥΣ. (εἰ γὰρ) στύοιντο δ' ἄνδρες καὶ θυμοῖεν πλεκοῦν,
ἡμεῖς δὲ μὴ προσίοιμεν, ἀλλ' ἀπεχοίμεθα,
σπονδὰς ποιήσαντ' ἂν ταχέως εὖ οἶδ' ὅτι.

Lege προσοίμεθ'.

XXXVII.

Ibid. 183.

ΛΑΜ. πάρφαινε μὰν τὸν ὅρκον, ὡς ὀμιώμεθα.

Lege ὀμιόμεθα.

XXXVIII.

Thesm. 314.

ΧΟΡ. δεχόμεσθα καὶ θεῶν γένος
λιτόμεσθα ταῖσδ' ἐπ' εὐχαῖς
φανέντας ἐπιχαρῆναι.

Leg. χαρέντες ἐπιφανῆναι.

XXXIX.

Ibid. 320.

ΧΟΡ. καὶ πολυώνυμε, θηροφόνη παῖ,
Λατοῦς χρυσώπιδος ἔρνος.

Dele παῖ.

XL.

Ibid. 796.

πᾶς τις τὸ κακὸν τοῦτο ζητεῖ περὶ τὰς κλίνας περινοστῶν,
κἂν ἐκ θυρίδος παρακύπτωμεν, ζητεῖ τὸ κακὸν τε-
Lege τὸ κακὸν ζητεῖτε θεᾶσθαι. (θεᾶσθαι.

XLI.

Ibid. 1062.

ΕΥΡ. ἀλλ' ὦ τέκνον, σὲ μὲν τοσαῦτα χρῆ ποιεῖν
κλάειν ἐλεινῶς. ΜΝΗΣ. σὲ δ' ἐπικλάειν ὕστερον.
ΕΥΡ. ἐμοὶ μελήσει ταῦτά γ', ἀλλ' ἄρχου λόγων.
Suspicor legendum esse γόων.

XLII.

Ran. 12.

ΞΑΝΘ. τί δῆτ' ἔδει με ταῦτα τὰ σκεύη φέρειν,
εἴπερ ποιήσω μηδὲν ὧνπερ Φρύνιχος
εἴωθε ποιεῖν; καὶ Λύκις κἀμειψίας
σκεύη φέρουσ' ἑκάστοτ' ἐν κωμῳδίᾳ.
Lege expuncto ultimo versu
εἴωθε ποιεῖν καὶ Λύκις κἀμειψίας.

XLIII.

Ibid. 84.

ΗΡΑ. Ἀγάθων δὲ ποῦ 'στιν; ΔΙΟ. ἀπολιπών μ' ἀποίχεται,
ἀγαθὸς ποιητὴς καὶ ποθεινὸς τοῖς φίλοις.
In Scholio ad h. l. γρ. δεξιός lege δεξιοῖς.

XLIV.

Ibid. 270.

ΧΑΡ. ἔκβαιν', ἀπόδος τὸν ναῦλον. ΔΙΟ. ἔχε δὴ τωβολώ.
Lege ἀποδούς.

XLV.

Ibid. 941.

ΕΥΡ. ἴσχνανα μὲν πρώτιστον αὐτὴν καὶ τὸ βάρος ἀφεῖλον
ἐπυλλίοις καὶ περιπάτοις καὶ τευτλίοισι λευκοῖς.
Lege μικροῖς e Scholio. cf. Nub. 630.

XLVI.

Ibid. 956.

ΕΥΡ. λεπτῶν τε κανόνων εἰσβολὰς ἐπῶν τε γωνιασμούς,
νοεῖν, ὁρᾶν, ξυνιέναι, στρέφειν, ἐρᾶν, τεχνάζειν.
Lege στρόφων ἐρᾶν.

XLVII.

Eccles. 41.

ΓΥ. Α. καὶ μὴν ὁρῶ καὶ Κλειναρέτην καὶ Σωστράτην
παριοῦσαν ἤδη τήνδε καὶ Φιλαινέτην.
Lege προσιοῦσαν.

XLVIII.

Ibid. 160.

ΠΡΑ. μὰ Δί', ἀλλ' ἀνὴρ ὢν τὼ θεὼ κατώμοσας
καίτοι τά γ' ἄλλ' εἰποῦσα δεξιώτατα.
ΓΥΝ. ὦ νὴ τὸν Ἀπόλλω. ΠΡΑ. παῦε τοίνυν κτὲ.
Lege ὤναξ Ἄπολλον.

XLIX.

Ibid. 382.

ΒΛΕ. τὸ τριώβολον δῆτ' ἔλαβες; ΧΡΕ. εἰ γὰρ ὤφελον.
ἀλλ' ὕστερος νῦν ἦλθον, ὥστ' αἰσχύνομαι
μὰ τὸν Δί' οὐδέν' ἄλλον ἢ τὸν θύλακον.
Leg. οὐδένα μᾶλλον.

L.

Ibid. 586.

ΑΝ. νὴ τὸν Ποσειδῶ, μεγάλα γ' εἰ μὴ ψεύσεται.
Lege ψεύδεται.

LI.

Ibid. 609.

ΒΔΕ. οὔκουν καὶ νῦν οὗτοι μᾶλλον κλέπτουσ' οἷς ταῦτα
(πάρεστιν;
ΠΡΑ. πρότερόν γ' ὦ ταῖρ', ὅτε τοῖσι νόμοις διεχρώμεθα
Lege ὦ τᾶν. (τοῖς προτέροισιν.

LII.

Ibid. 720.

ΠΡΑ. ἔπειτα τὰς πόρνας καταπαῦσαι βούλομαι
ἀπαξαπάσας. ΒΔ. ἵνα τί; ΠΡ. δῆλον τουτογί·
ἵνα τῶν νέων ἔχωσιν αὗται τὰς ἀκμάς.

Lege ἔχωμεν αὐταὶ.

LIII.

Ibid. 735.

ΑΝ. ποῦ 'σθ' ἡ διΦροΦόρος; ἡ χύτρα, δεῦρ' ἔξιθι,
νὴ Δία μέλαινά γ', οὐδ' ἂν εἰ τὸ Φάρμακον
ἕψουσ' ἔτυχες ᾧ Λυσικράτης μελαίνεται.

Lege ὡς.

LIV.

Ibid. 890.

ΓΡΑΤΣ. τούτῳ διαλέγου κἀποχώρησον· σὺ δέ κτἑ.

Lege σαυτῇ.

LV.

Ibid. 997.

ΝΕΑΝ. ὁς τοῖς νεκροῖσι ζωγραΦεῖ τὰς ληκύθους.
ἀλλ' ἄπιθ', ὅπως μή σ' ἐπὶ θύραισιν ὄψεται.

Lege σε μὴ θύρασιν.

LVI.

Ibid. 1061.

ΓΡ. Β. βάδιζε δεῦρο. ΝΕΑ. μηδαμῶς με περιίδῃς
ἑλκόμενον ὑπὸ τῆσδ', ἀντιβολῶ σ'. ΓΡ. ἀλλ' οὐκ ἐγώ,
ἀλλ' ὁ νόμος ἕλκει σ'. ΝΕΑ. οὐκ ἔμεγ' ἀλλ'

Lege οὐ μὰ Δί'. (ἔμπουσά τις.

LVII.

Ibid. 1104.

ΝΕΑΝ. ἆρ' οὐ κακοδαίμων εἰμί; βαρυδαίμων μὲν οὖν
νὴ τὸν Δία τὸν Σωτῆρ' ἀνὴρ καὶ δυστυχής,
ὅστις τοιούτοις θηρίοις συνείρξομαι.

συνείρξομαι est e coni. Bergkii. Codd. habent συνεύξομαι et συνείξομαι. Restitue Futurum medium cum passiva significatione συνέξομαι, quod rarissime occurrit.

LVIII.

Ibid. 1117.

ΘΕΡ. ἥτις μεμύρωμαι τὴν κεΦαλὴν μυρώμασιν
ἀγαθοῖσιν, ὦ Ζεῦ·

Ex Athenaeo XV. p. 691 b. restitue μεμύρισμαι, quae forma unice proba est.

LIX.

Schol. Pac. 59: ἦν δὲ καὶ ἀρά τις αὕτη τοῖς ἀρχαίοις (sc. κόρημα), ὥς που καὶ ὁ Μένανδρός Φησι »πολλάκις ἐκκορηθείης σύ γε" βουλόμενος τὸ ἄρδην ἀπολέσθαι σημῆναι.

Venet. omittit καὶ et που καὶ ὁ. Suidas omittit πολλάκις, quem sequitur Dindorf. Equidem legendum censeo ὡς Μένανδρός Φησι Παλλακῇ," ἐκκορηθείης κτἑ.

LX.

Aesch. fr. 329.

πρὶν ἂν παλαγμοῖς αἵματος χοιροκτόνου
αὐτός σε χράνῃ Ζεὺς καταστάξας χερῶν.

Lege σταλαγμοῖς et ῥάνῃ.

LXI.

Eurip. Rhes. 488.

ΡΗΣ. τάξον μ' Ἀχιλλέως καὶ στρατοῦ κατὰ στόμα.
ΕΚΤ. οὐκ ἔστ' ἐκείνῳ θοῦρον ἐντάξαι δόρυ.

Lege ἀντᾶραι.

LXII.

Eur. Iphig. T. 482.

τί ταῦτ' ὀδύρει κἀπὶ τοῖς μέλλουσι νὼ
κακοῖσι λυπεῖς, ἥτις εἶ ποτ', ὦ γύναι;

Lege μένουσι.

LXIII.

Eur. Med. 375.

ΜΗΔ. ὥστ', ἐξὸν αὐτῷ τἄμ' ἐλεῖν βουλεύματα
γῆς ἐκβαλόντι, τήνδ' ἀφῆκεν ἡμέραν
μεῖναί μ' κτἑ.

Lege ἐφῆκεν.

LXIV.

Eur. Or. 294.

ΟΡ. καὶ νῦν ἀνακάλυπτ' ὦ κασίγνητον κάρα.

Lege ἀνακαλύπτου κ. κ.

LXV.

Stob. XCIX. 2 in fragm. Cleaeneti:

λύπη γὰρ ὀργή τ' εἰς ἕνα ψυχῆς τόπον
ἐλθόντα μανία τοῖς ἔχουσι γίγνεται.

Lege ἐλθόντε μανίαν τοῖς ἔχουσι τίκτετον.

LXVI.

Xenoph. Hellen. II. 2. 6 Εὐθὺς δὲ καὶ ἡ ἄλλη Ἑλλὰς ἀφειστήκει Ἀθηναίων μετὰ τὴν ναυμαχίαν πλὴν Σαμίων· οὗτοι δὲ σφαγὰς τῶν γνωρίμων ποιήσαντες κατεῖχον τὴν πόλιν.

Lege Γεωμόρων.

LXVII.

Ibid. II. 4. 17. Ὦ μακάριοι δῆτα, οἳ ἂν ἡμῶν νικήσαντες ἐπίδωσι τὴν πασῶν ἡδίστην ἡμέραν. Εὐδαίμων δὲ καὶ ἄν τις ἀποθάνῃ, μνημείου γὰρ οὐδεὶς οὕτω πλούσιος ὢν καλοῦ τεύξεται.

Lege οὐδεὶς οὐδὲ πλούσιος ὢν οὕτω καλοῦ τ.

LXVIII.

Id. Cyneg. III. 4. αἱ δὲ (sc. canes) τὰ ὦτα μὲν ἀκίνητα ἔχουσιν, ἄκρᾳ δὲ τῇ οὐρᾷ σείουσι.

Lege σαίνουσι.

LXIX.

Demosth. Olynth. I. § 26: ἀλλὰ Φωκεῖς; οἱ τὴν οἰκείαν οὐχ οἷοί τε ὄντες φυλάττειν, ἐὰν μὴ βοηθήσηθ' ὑμεῖς. ἢ ἄλλος τις; ἀλλ' ὧν τἂν οὐχὶ βουλήσεται.

Locus nunc sensu vacuus sanus erit, si deleveris punctum post ὑμεῖς et Φωκεῖς.

LXX.

In Byzantinorum decreto apud Demosthenem de Cor. § 90: ἐπειδὴ ὁ δᾶμος ὁ Ἀθαναίων . . . . βοηθήσας πλοίοισιν ἑκατὸν καὶ εἴκοσι καὶ σίτῳ καὶ βέλεσι καὶ ὁπλίταις ἐξείλετο ἀμὲ ἐκ τῶν μεγάλων κινδύνων.

Lege ὅπλοις.

LXXI.

Ibid. paullo post legitur δεδόχθαι . . . . Ἀθηναίοις, δόμεν ἐπιγαμίαν, πολιτείαν, ἔγκτασιν γᾶς καὶ οἰκιᾶν κτἑ. in quibus miror quomodo editores ad hunc usque diem concoquere potuerint putidum glossema πολιτείαν.

LXXII.

Isocr. c. Sophist. 17: ταῦτα δὲ πολλῆς ἐπιμελείας δεῖσθαι καὶ ψυχῆς ἀνδρικῆς καὶ δοξαστικῆς.

Lege στοχαστικῆς.

LXXIII.

Id. Paneg. 37. οὐ γὰρ αὐτοὺς ἔδει κτωμένους χώραν διακινδυνεύειν, ἀλλ' εἰς τὴν ὑφ' ὑμῶν ἀφορισθεῖσαν, εἰς ταύτην οἰκεῖν ἰόντας.

Lege πορισθεῖσαν.

LXXIV.

Ridiculum est quod legitur apud Tacitum Ann. I. 68: Igitur orta die *proruunt fossas, crates iniiciunt*, summa valli prensant. Repone *proruunt, fossis crates iniiciunt.*

LXXV.

Liv. II. 45. Consulem *Romanum* miles semel in acie fefellit, deos numquam fallet.
Lege *Romanus*.

LXXVI.

Liv. XLV. 37. Quis umquam tam nocens reus fuit, cuius vitia *vitae* tot horis expromi non possent?
Dele *vitae* e dittographia natum.

LXXVII.

Liv. XXII. 28. Ad locum capiendum dux ipse inter stolidissimos ferocissimosque ad arma vocat, et vanis *animis et* minis increpat hostem.
Ultima in aliis codicibus alio modo scribuntur. Dele dittographiam *animis et*.

LXXVIII.

Cic. Tusc. Quaest. II. 14. fin. Spartae vero pueri ad aram verberibus sic *accipiuntur*.
Lege *excipiuntur*.

LXXIX.

Ibid. qui contortulis quibusdam ac *minutis* conclusiunculis.
Lege *minutulis*.

LXXX.

Ibid. c. 24. Ut enim balistae *lapidum* et reliqua tormenta telorum. Dele *lapidum*.

LXXXI.

Ib. II. c. 27. Ut ius suum et libertatem *tenerent*.
Lege *tuerentur*.

LXXXII.

Verr. V. § 58. Deinde quod alio loco *antea* dixi.
Dele *antea*.

LXXXIII.

Ibid. § 91. Reliqui praefecti Cleomenem *persecuti* sunt.
Lege *secuti*, cf. 104.

LXXXIV.

Ibid. § 178. Hic si quid erit commissum a quoquam vestrum, quod reprehendatur, aut Populus Romanus iudicabit de eo homine, quem iam ante iudiciis indignum putavit, aut ii, qui propter offensionem iudiciorum *de veteribus iudicibus* lege nova iudices erunt constituti.
Dele ineptum glossema *de veteribus iudicibus*.

LXXXV.

In Cicerone Epp. ad Famill. I. 6. 1 (ex Orell. Ed. 1ª) pro *infringatur*, corrigendum *frangatur*.

LXXXVI.

Constans norma syntactica postulat ut ibid. 7. 4. corrigatur et *exstet*, et mox *vim habeat*.

LXXXVII.

Ibid. 9. 4. Quod *quoniam* legitur, perit sententiae vis. Corrigendum *quum*.

LXXXVIII.

Ibid. 5. Abiiciendum glossema *in meis damnis*.

LXXXIX.

Ibid. 16. Obtemperandum Ernesto, ut legatur *falsam opinionem acceperant*, pro *acceperunt*.

XC.

Ibid. II. 6. 3. Necessario ex marg. Cratandr. revocandum *quantae mihi est honos eius*, pro eo quod editur *sit*.

XCI.

Ibid. 12. 3. Una vocali mutata ex absurdo *triumpharem* verum restituendum *triumpharam*.